



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

Dissertatio II. In Qua refutantur, quæ Maimburgus in favorem primæ  
Propositionis Parisiensis, contra Summi Pontificis in Reges potestatem, in  
Libro (a) de Institutione, & Privilegijs Romanæ Ecclesiæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**



# DISSERTATIO II.

In

Qua refutantur, quæ Maimburgus in favorem primæ Propositionis Parisiensis, contra Summi Pontificis in Reges potestatem, in Libro (a) de Institutione, & Privilegijs Romanæ Ecclesiæ conatur producere.

**L**udovicum Maimburgum præcipiti jam ætate, & in Occasum vergente, vita prius, quam ardor, vel potius intemperies scribendi deseret; adeo illum aut aura ex nuperis libris collecta, aut Principis gratia, aut vindictæ dulcedo oblectant, ut supremas etiam horas bello malit, quam paci dicatas: nec adduci possum, ut credam, veritate illum ad scribendum impelli; hanc enim, quod supra vidimus, & ex dicendis constabit, toties seposuit, ut neglecta potius, quam amata videatur. Et numquid alia deerant argumenta, in quibus veritati, si hæc adeo placebat, militaret? Sed hoc unum delegit, quia licet profano potius calamo, quam sacro dignum, nec satis ejus vitæ instituto aptum, quod tot annis profitebatur; aulæ tamen præcharum erat, etsi minus lau-

Qq̄ dis

(a) Maimbourg Traité Historique de l'establissement e Prerogatives de l'eglise de Rome Anno 1685.

1.1  
rcata  
III  
3.0

dis, plus pretij promittebat. Et in alijs quidem Libris Pontificiam Dignitatem occultis tantum praelijs, minutisque impetijt, in hoc verò libro, quem refutare aggredimur, plenam aciem instruxit, seque hostem professus est, quam majori pompâ, quàm damno. Titulus libro præfixus, *de Privilegijs & Prærogativis Romane Ecclesie, ejusque Episcoporum.* Et verò paucis paginis prærogativas & Privilegia absolvit, reliquas omnes, multoque plures illis evertendis impendit; quasi verò subesse Concilio, falli & errare posse, nullaque in Principes, eorumque Imperia, cum Religio, cum necessitas urget, auctoritate pollere, ad Privilegia Pontificum, aut Episcoporum pertineat; & his tamen totus ferè liber occupatur. Ergo ne titulus quidem, ipsùmque limen stratagemate & artificijs caret; quid erit intrò progressis? & tamen singulis paginis candorem, fidem, innocentiam pollicetur, nec alium ferè reperies promissis largiorem. Ego optimâ fide omnia in medium producam, & quæ hic Auctor Gallicè scripsit, ego latinè reddam, conaborque, ut nec verba, nec sensus, nec energiam desideres, nec ulla sit Gallis querela celatæ veritatis. Ea tamen omittam, quæ ad causam non faciunt.






§ I.

Refutantur, quæ Maimburgus in Dedicato-  
ria producit. Falli eos, qui putant, hæreticos ad  
veram Religionem facilius redituros, Pontificis  
Romani Auctõritate minutâ.

SUMMARIA.

1. Referuntur & refutantur, quæ Maimburgus in Dedicato-  
ria ad Regem prefatur.
2. Pontificis potestatem nunquam fuisse veram Schismatis  
causam, sed tantum simulatam, quod exemplo Schismatis Græci  
ostenditur.
3. Anglicani, Germanique.
4. Et Succi, Danici, iterumque Anglicani, Gallique. Veras igitur  
Schismatis causas esse odium, ambitionem, & reliquas cupiditates.
5. Regiam potestatem, Sacramenta, Cælibatum, & ipsa Con-  
tilia abolenda esse, si argumentatio Maimburgi valeat; istis enim  
multo magis hæreticos offendi, quàm Pontificiâ potestate.
6. Transactiões cum hæreticis semper infelicitè cecidisse, quod  
exemplis ostenditur Concilij Ariminensis.
7. Et Zenonis Imperatoris.
8. Et Honorij Pontificis ac Heraclij.
9. Et Caroli Imperatoris.
10. Et Elia Patriarchæ Babilonici.

ca  
icatu  
ut  
3.0



## I.

**X**ponit Maimburgus in Dedicatoria, quam Libro (a) præfixit, scriptionis suæ causas, easque in hæc omnino verba & sensa depromit.

Unum ex præcipuis obstaculis, quæ hereticos morantur, ne Romana Ecclesia sinum repetant, eam falsamque opinionem esse, quam tenaciter imbibere, Pontifices videlicet à Catholicis super omnem Ecclesiam attolli, prærogativas huic debitas in eos transferri, immensamque tribui potestatem, nullis terminis septam, imò nec intra aras illam, sacrâsque functiones contineri, sed etiam in profana, & Coronas extendi. Hoc hereticos in Subisinate obstinare, quo misere diuque confluctantur. Huic malo Ecclesiam Gallicanam providisse, quando vulgata nuper Declaratione, & mentem suam, doctrinamque exposuit, antiquæ Patrum doctrinæ simillimam, & moras omnes, quibus heretici tenebantur, abruptis, denique Regis sui Zelum imitata est, tanto ardore parit, felicitate, strenuam, qui erroribus adhuc attinentur, conversionem urgentis. Hunc quoque sui libri scopum esse, in quo ea se dicturum, quæ nullis artificijs, nullaque subtilitate everiti possint. Quippe facta narraturum, omni ratiocinio majora. Quod si liceat veritatem fateri, Regem nupero edicto, quo Propositiones & Declaratio Parisiensis armabantur, plus Ecclesiæ Romanæ contulisse, quàm omnes retrò Gallia Reges, ipsas enim divitijs, honoribus ac Imperio auxisse, quibus præstantem illam florentemque videmus: at fluxa hæc esse, nec Ecclesiæ propria: modernum vero Regem, dum doctrinam & sensa Ecclesiæ Gallicanæ toto Regno stabiliri jubet, illud simul effecisse, ut Primatus Ecclesiæ Romanæ, verâque illius prærogativa immota redderentur: ut hereticis, qui nullum sinem ejus impugnandi faciunt, omnis tergiversandi locus procul esset, velandique à Romana Ecclesiâ defectionem; utque illi intelligerent, non esse Gallorum doctrinam, quâ ipsi maxime offenduntur, sed quorundam solum privatas opiniones Theologorum, nuper in scholis natas, totique retrò antiquitatis aversas: sibi jam funere propinquo, nihil gratius fore, si in sociis Regi esse non possit, tot victorias palmâsque metenti (quanquam & istas precibus suvet) ut saltem liceat aliquid dicendo scribendoque in eos triumphos conferre, quos quondam Ecclesiâ adjungat, heresi debellatâ.

Hæc omnino Maimburgus in Dedicatoria ad Regem, quæ si

(a) Maimbourg Traité historique de l' établissement, & prerogatives de l' Eglise de Rome, epître à Roy.

in cortice hæreas, plena Religionis, pietatis & modestiæ sunt, & talia omnino, quæ animos capiant istarum artium ignaros, infuerosque. Credas, illum Arcopago, aut Stoà prodire, aded faciem componit, fingitque virtutem, ac flagrantem se ostentat amore veritatis, tamen in hanc maxime offendit, mallémque erroris, quam doli accusare, nisi toties peritiam jaçtaret.

Dicit, nos Pontifici tribuere immensam, absolutamque potestatem, nullis terminis clausam. Imò quàm plurimos Ei terminos ponimus, quippe legibus Eum divinis, naturalibus, ac etiam humanis, quæ modò Eius statui convenient, teneri dicimus. Quòd verò ab alio puniri non possit, id supremæ Dignitatis privilegium est, ac etiam Regiæ; quæ enim rerum confusio, & contemptus Principum esset, si listi suis subditis, plectique ab istis possent?

Dicit, doctrinam Propositionibus Parisiensibus adversam novam esse. Gallicanæ Ecclesiæ contrariam, & ad aliquorum Theologorum privatas opiniones spectare. At verò quâ fiducia hæc scribit Maimburgus, quem utique non latet, doctrinam & sententiam nostram è Concilijs, (a) Lugdunensi, (b) Viennensi, (c) Constantiensi, aliisque haustram esse, quæ omnia in Reges apertissimè pronuntiârunt? quam in Comitij Cleri (d) sub Ludovico XIII. Ecclesiæ Gallicanæ professæ est? quam præcipui, sanctique Galliæ (e) Doctores scriptis complexi sunt? qui ergo dici potest privata opinio, qui nova, quam à Concilijs accepimus? aut quâ ratione Gallicanæ Ecclesiæ adversa, quam in Galliæ Concilijs Comitijque Gallicanæ Ecclesiæ tories expressit? & quam Divi, Bernhardus, Thomas, Bonaventura, insignes in Gallia Doctores constanter, clarèque asseruere? sed hæc alibi probata à me sunt, & postea occurrent. Nunc ad alia convertamur, quæ sunt hujus loci.

I I. Dicit, Propositiones Parisienses eo spectare, ut circumscriptâ, minutâque Pontificis Romani Potestate, Protestantibus odiosa, tanto isti facilius ad Catholicam, veramque Religionem perducantur, sicque sperari posse Schismata

Q99 3

(a) Concil. Lugd. in cap. ad Apostolicæ de sent. & re jud. in 6. 1245. (b) Concil. Vienn. in Clem. un. de Jure jur. 1311. (c) Concil. Constant. sess. 20. 28. 39. 41. 1414. (d) Comitium Cleri Gallicani apud Grammond. lib. 1. anno 1615. (e) S. Thomas 2. 2. q. 12. a. 2. in corp. & ad 1. & 2. q. 60. a. 6. ad 3. & in 2. d. 44. q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinth. cap. 11. & in ep. ad Philipp. circa fin. & opusc. 20. lib. 3. cap. 10. 17. 19. S. Bonav. de Eccl. Hierarch. p. 2. c. 1. S. Bernard. lib. 1. de confid.

*cessaturum, sublati eius causis.* Hæc Maymburgus speciosè, ac recepto jam more, nemo enim aut Rempublicam aut Religionem aggreditur, nisi publici boni obtentu. Sacras prophanasque historias pervolve, reperies, nec Ecclesias hæresi, nec Rempublicam seditione turbatam esse, ut non aliquam boni publici curam seditioni prætexerent; ergo mirum aut novum non est, si privatis studijs, ne oculos incurrant, Religionis & modestiæ velum præ-tenditur. Quàm verò nihil eorum sit, quæ Maimburgus producit, tu ex sequentibus intellige.

Primò falsum est, Romani Pontificis supremam potestatem veram Schismatis causam fuisse, quamvis forsan obtenta fuerit, & jam paratæ defectioni quæsita. Oportet enim inter Schismatis, & prætextus causas distinguere; isti cum speciosi sint, & Religionem, pietatem, bonique publici curam ostendent, facile patent, inò & cum pompa jactantur; causæ verò in latebris sunt, quippe ex ambitione, quæstu, privatisque odijs natæ, & quas celari potius juvet, pudeatque proferri. Pertinacissimum fuit Phorij Schisma, & Græciæ funestum, quod toties compressum, toties gliscens refurgensque tandem in flammam erupit, Ecclesiæ juxta & Imperio fatalem, nec prius resedit, quàm utriusque ruinâ. Veræ illius causæ ambitio, odium, & cupido vindictæ, sed hæc clam habita, quia foeda profitenti, nec gratiam plausumque reper-tura. Quæsiti à Religione prætextus, & mendacis aucti, ut placerent, caperentque incautos. Bardas Imperatori Michaeli præcharus, & in aula potens Ignatium Patriarcham sanctissimum exilio proscripserat; causâ odij, quæ omnibus bonis, solus enim Imperatorem juventâ ac indulgentiâ Bardæ in omne flagitium ruentem, exemplo, reverentiâ, monitisque morabatur, ipsûmque Bardam incestis nuprijs junctum Ecclesiâ prohibuerat. His ex causis odium: sed ne huic exilium adscriberent, aliæ productæ; affectati Imperij, & quòd cum Theodora Augusta olim Curatrice clam conspirasset, accusatus est. Ejecto Phorium sufficiunt, Bardæ amicum, belli pacisque artibus, ingenio ac litteris summum, sed ambitionis immensæ, ac in omne flagitium promptæ, dum honoribus, quorum cupiditate flagrabat, potiretur; adeò ut ingenij viribus, quo tantum valebat, etiam magicas artes sociaret; intra  
sex

sex dies ex milite & aulico in Patriarcham evasit. Omnes qui Ignatio studebant, pulsi, punitique, aut præmijs corrupti: sed cùm videret, se, dum Romanum Pontificem amicum, faventemque non haberet, incertum semper, dubiumque dignitatis suæ fore, hunc omni artificio lucrari studet. Decreta ad Illum ab Imperatore Legatio, quâ primi ex Aula fungebantur; munera auro gemmisque gravia; adiecti à Photio Episcopi tres, qui formulam fidei Nicolao (a) exhiberent, litterasque offerrent, lacrymis, precibus ac simulatione plenas, quibus Patriarchatum recusabat: invitum se imparémque fatebatur, sed Imperatoris, Cleri, omniumque precibus victum, ut Infulas sustineret, Ignatio sponte digresso, & oneri succumbente. Summa erat, ut Nicolaus Legatos suos mitteret, qui Ecclesiam Constantinopoli componerent. Annuit Nicolaus, misitque, sed illi aut pœnis ac diuturno carcere fessi, aut corrupti muneribus in Synodo 318. Patrum Photio dignitatem confirmant, abrogantque Ignatio Apostolicam Sedem appellanti. Hæc ubi Nicolaus explorata habuit, Photium damnat, privátque dignitate, & Ignatium restituit. (b) Hinc omnes à Photio discedere, ipse indignissimè ferens, Bardæ potentiâ fretus, omnia pœnis, exitijs, adulationibus, præmijs miscens Synodum cogit, & suffragijs mille subornatis, quamvis omnes ferè repugnarent, in Nicolaum Pontificem anathema torquet. Crevitque audacia Trevirensis & Colonienfis Archiepiscoporum accessu. Lotharius Austrasiæ Rex Waldradæ amoribus flagrabat, ardebátque in nuptias; nec potiundi spes erat, vivente Thietbergâ legitimâ Uxore: hujus repudium ab Archiepiscopo obtinuit in Synodo Aquisgranensi, accusatâ Thietbergâ incestus, damnatâque, & thoro Walburgæ concessa. Nicolaus Archiepiscopos tanti, vulgatique mali auctores dignitate privat, & illi dolore amissæ dignitatis, cupidique vindictæ Photio se jungunt; hinc auctum Schisma, & titulus Oecumenici Patriarchæ à Photio sumptus. Sed ne color flagitio abesset, & quod furor & ambitio erat, Religio puraretur, calumniæ in Ecclesiam Latinam, Romanumque Pontificem sparsæ: *Qudd Latini Sacerdotes sacro*

(a) Nicol. PP. encycl. ad Patres & episc. & ad ep. Orient. Epist. ad omn. fid. V. Baron. ad ann. 859. ubi epist. Photij n. 61. (b) Nicet.



*sacro Chriſmate inungant à ſe baptizatos; quòd aquam Chriſmati miſceant; quòd Spiritum S. à Patre Filioque procedentem faciant; & denique præter alia, quòd Papa miſerabili tyrannide fideles premat. Tyrannum Photius, & Colonienſis ac Trevirenſis appellabant, à quo tot flagitijs ſuis pœnas metuebant. Auxit Schiſma Bulgariae certamen.*

*o* Anno DCCCXXXV. Bogares Bulgarorum Princeps Chriſtianam fidem ſuſceperat; anno verò DCCCLVI, petiris, impetratiſque à Nicolao Papa Legatis baptiſmo tincti fuerant. Orta poſt eorum converſionem altercatio, ad utrum Patriarchatum ea provincia pertineret, Romanum an Conſtantinopolitanum? Romanus enim totam Europam, Thraciamque complectebatur, utramque etiã Epirum, Theſſaliam, Dardaniam, Daciãque, quas Bulgari inhabitant, ſemperque à Romana Eccleſia regi ſolitas, Ipsiſque Bulgari cùm ſe Romano Pontifici ſubdidere, ſuo Regi, non Græco parebant. Lis tamen à Legatis Sedium Patriarchalium pro Græcis deciſa. Romani negabant, ſe hæc ſententiã ligari, quippe ab inferioribus latã. Hadrianus (a) Ignatium Patriarcham omnẽſque alios Græciæ Episcopos, niſi Bulgaria decederent, diriferit, & dignitatibus privat: hinc auctæ querelæ, & animorum diſſidia, Schiſma confirmatum. Cui magna acceſſio à Michaële Cerulario, omnia Conſtantinopoli miſcente: is enim, quòd è ſimplici laico promotus eſſet, timeretque, ne ſuam electionem contra Canones factam Pontifex Rom. irritam pronuntia-  
ret, nec ferret titulum Patriarchæ Oecumenici ab eodem Pontifice ſibi denegatum, defectionem maturavit, aliõſque errores Pontifici, Latinisſque impoſuit: *Quòd more Judaico Sabbatho abſtinerent; quòd ſuffocatis veſcerentur; quòd azymos ſacrificio adhiberent.* (b) Sed ipſe multarum hæreſum convictus à Legatis Leonis Papæ ſolemni apparatu omni populo, Cleroſque ſpectante, Conſtantinopoli ſacris eſt interdictus: auctæ in immenſum iræ, & in omnes Orientis Patriarchas, quod Photius non potuerat, Schiſma eſt propagatum, ac Pontificis Romani nomen ſacris Diptychis eraſum. Quod ergo Photius inchoaverat, Michael abſolvit, promovitque ejus conatus mors Leonis Papæ, & Imperium Theodoræ Imperatricis Patriarchæ obſe-

(a) V. Anaſtaſ. in vita Hadr. anno 869. (b) V. de error. Cerularij Spond. ad ann. 1054. n. 3.



elegerunt, impugnatâ potestate, à qua vapulabant. Idémque omnibus perduellibus modus & genius fuit, ut videlicet in caput & Principes Reipublicæ arma primò & ante omnia converterent, & cum istis perpetuis odijs confligerent; quippe ijs salvis nusquam tuta defectio. Quid ergo mirum est, si hæerici, aliique istis similes, cum perdere Ecclesiam, suâque cupiditates explere vellent, in caput Ecclesiæ arma & odia vertisse, à quo uno cupitis arcebanatur? Eadem ergo in omni Schismate observes.

III. Quanta Henrico Angliæ Regi, dum pacato adhuc animo, sanòque esset, Pontificis reverentia? cujus etiam Jura edito Libro, impugnatòque Luthero, asseruit, raro in Regibus exemplo, & forsan unico. Ubi verò amare Bolenam cœpit, fastidire legitimos thoros, Reginam thalamo, Aulâque submovere, adulteram in amplexum recipere, idque, no flagitij puderet, nuptiali, publicòque apparatu; nec interim movere Pontificem posset, ut adulterio, cujus exemplum totam Angliam incendebat, aut subscriberet, aut indulgeret; tunc enim verò declamare in Pontificem cœpit, ac Schisma moliri, eâque potestatem Tyrannidis inculcare, quam suis amoribus, incestu ac adulterio pollutis videbat adversari. Si ergo diceret Pontifex: *Bolenam obtine, Uxorem ablega, incestu ac adulterio fruire, Angliam exemplo corrumpe, omnes leges, divinas, humanâque solve, utque libido fuerit, ama & jube.* Hæc inquam si Pontifex diceret amanti & Regi, nunquam se Anglia Schismate obligasset. Illi ergo solum Pontificem oderunt, qui nollent aliquem esse, quem veteri deberent, quique obstaret illicita cupientibus. Quid latroni, homicidæ, adulterio magis in votis, quàm nullum in Republica judicem esse, nullas leges? nullumque scelerum vindicem? quantique emerent istos excindi? Idem advertas in Luthero, Calvinique Schismate. Lutherum vitæ monasticæ tædebat, displicebant jejunia, vigiliæ, parendi latendique necessitas, & alia, quæ expiandis criminibus Religio invexit, noctes præsertim cœlibes, castæque & expertes amorum; quid consilij, ut hæc licerent optata, & tamen vetita? Judex, vindexque auferendus; is Papa fuit, hoc enim valente nunquam votis Lutherus potiretur, huic evertendo omnia omnibus concessa, persuasum populo, nil bonis operibus opus, divina præcepta ultra vires hominum esse, & ided nec curanda,

randā, fide omnia contineri, impletique, jejuniā, expiationes, & quidquid humanā corruptāque naturā durum, ad fabulas & superstitiones pertinere. Religiosis sublata vota. Clericis nuptiā concessā. Principibus sacra aequē ac profana. Quid posset facilius persuaderi, quā ista naturā blandientia? nam & promptissima navigatio secundo fluvio. Ut verō hęc omnia & turō licerent, auferendus ē medio Judex, & idē omnibus inculcatum, Pontificis auctoritatem non legitimam, nec à Deo institutam esse, sed usurpatam, tyrannicam, & Antichristo propriam, & idē nec curandam. Sic Schisma formatum. Nec ferē aliā rationes Principes permoverunt, ut fidem Lutheri amplexarentur, non tam odio Pontificis, quā amore libertatis, suarūque cupiditatum, à quibus initium, & ab istis ad persequendos Pontifices progressus fuit, nec prius persequi desinent, quā abstant illicitis; quemadmodum non prius latroni, ut Judicem amet, persuaseris, quā aut Judex ad latrocinia conniveat, aut ipse latrocinij abstineat; Quantumcūque ergo Pontificiā dignitati abstrahas, nunquam eam Protestantibus conciliaveris, nisi unā efficias, ut istis aut omnia liceant, quā eorum cupiditates permulcent, aut omnia permittantur, Pontifice videlicet aut muto, aut complice.

IV. Sic Suecica defecit. Cū enim Gustavus Eriksonius Patriam à Danis oppressam longo bellorum & victoriarum cursu liberāset, ac ararium tot belli sumptibus, debitisque exhaustum esset, eique replendo media quærerentur, persuasum ei à Secretario suo est, & quodam Olao Petri hæresi Lutheranā jam tinctis, ut fidem Lutheranam amplexaretur, eam enim ad moderni seculi genium esse, ac plerisque Principum placere, & ex illius præscripto omnia Ecclesiasticorum bona & facultates, quorum tanta copia esset, in Regium Fiscum reditura. Quid posset gratius cani Principi egeño, cupidōque? Ergo Lutheri dogmata recepta, ( a ) Ecclesiæ, Monasteria, Canonicatus spoliati, opēsque Regiæ, tot rivis in unum alveum ductis, supra modum audtæ, aliquā eorum parte in nobiles Familias sparsā, ut istos novæ Religioni adstringeret dulcedo prædæ, Idem Daniæ casus. Christiernum II. Daniæ & Sueciæ

R r r 2

(a) Florimundus Raymundus lib. 4. cap. 14. anno 1527. Maimbourg Lutheran. lib. 1. fol. 123.

Sueciæ Regem Subditi Regno expulerant, ob crudelitatem, perfidiâque exosum, ejus Patruo, Friderico Molfatiæ Duce, in thronum evecto. Reliquit Christiernus filium Carolo Imperatori ex Sorore, quam Christiernus duxerat, nepotem; hoc paternum Regnum repetente, armisque ac fortunâ Caroli subnixo, Fridericus societatem cum Protestantibus iniit, eorûmque Præconibus accessum in Daniam præbuit. Friderico morte sublato, hujus filius Protestantium operâ Patri susceptus est, quem Christiernum III. appellârunt. Hic ut causam suam contra Comitem Palatinum ex Domo Bavarica muniret (is enim Dorotheam Christierni II. filiam duxerat, legitimam Daniæ hæredem) Lutheranis Principibus se fœdere adstrinxit, eorûmque Religionem totâ Daniâ induxit, urgente præsertim Luthero, & Optimates monente, ut opes à majoribus in Tempa & Monasteria profusas occuparent, Episcopos verò, ut sibi suisque Clericis socias uxores pararent. Et litteris exempla adjecit (a) submisso Iohanne Machæo, qui Monasterio profugus sacram virginem abduxerat, merueratque Apostolatu fungi tam præclaro facinore. Sigismundus Augustus, cum Moscovitico & Tartarico bello premeretur, Lutheri hæresin in Polonia gliscentem excindere omisit, ne videlicet domi forisque bellum haberet, & cum illo Stirps Jagellonica (b) extincta est, neglectæ Religionis poenâ. Elisabetta Angliæ Regina, Bolenæ & Henrici filia, cum se natam videret ex nuptiis à Pontifice damnatis, spargerentque, qui Catholicos oderant, eam ut notham declaratum, abdicatumque iri, transato in Mariam Angliæ Regno; nihil habuit antiquius, quàm ut metu perendi Imperij Pontificem (c) & Religionem ejuraret, quamvis ei retinendæ se juramento adstrinxisset. Galliam quod attinet, certum est, non odio in Pontificem Romanum Calvino adhæsisse, sed Principum æmulatione ambituque, & quâvis ratione suas partes augere properantium. Margaritha Valefia, Francisci Primi Galliarum Regis Soror, Henrico Alibrettano nupta, cujus Patrem Julius II. Navarrae Regno privaverat, Ferdinando Arragoniæ Rege suscepto, Pontifici ob injuriam, ut credebatur, infesta Lutheri

(a) Florim. Raym. lib. 4. cap. 13. Spond. anno 1533. (b) Idem lib. 4. cap. 7.  
 (c) Idem lib. 6. cap. 10. anno 1558.

Lutheri Socios in Aulam, in Regnum, in Cathedras accepit, parumque abfuit, ut Regem corrumperet, evocato Parisios Philippo Melanchtone, sed iterum morari iussit, operâ Archiepiscopi Lugdunensis. Montmorancios & Collinios fratres, Condæumque Principem (quorum ductu hæresis Calvinî Galliam implevit, vastavitque, præpotens facta; cum Francisco Primo, & Henrico Secundo (a) Imperantibus humi serperet) Hugonottis adhæsisse odio Guisæ Ducum, qui favore apud Regem florebant, & Regno moderabantur, multorum etiam è Gallis opinio est. Francisco II. apostemate extincto Catharina Medicea, dum Carolus Rex adolefceret, gubernandæ Galliæ successit. Ea servandæ potentiæ anxia, hinc Guisios Duces, hinc Navarræ Regem, Condæumque Principem metuebat; istorum ergo vires æquare statuit, minori potentiâ futuros, si pares æmulique. Navarræ Regem Galliæ Vicarium constituit, Collinios fratres in gratiam & intima consilia admittit, Condæum Principem Ambosianæ conjurationis reum, & carceribus, ubi mortem expectabat, traditum, libertati restituit, sicque dum istos omnes Guisiorum potentiæ opponit, arbitra interim omnium sedens, morientem hæresin restituit, tot illis Principibus nixam. Imò cum Navarræ Rex armatus, minaxque instaret, & sibi, primo videlicet Regij Sanguinis Principi, debere habenas diceret: nec satis à Guisio opis, quem nimium quàm vellet depresserat, potestatem cum Navarræo partita est, fœdus cum Collinijs in initum, libertas prædicandi Calvinistis data, & quod hætenus à morte Clodovæi nunquam contigerat, Galliæ Regiam minax triumphansque hæresis invecta est, (b) cœpitque dominari; tanti unius feminæ imperandi avidæ ambitio stetit; imò & Scotiam perdidit, nunquam enim adduci potuit, ut Mariæ Stuartæ cum hæreticis confligenti auxilia submitteret, unde mors Regniæ ac Religionis secuta. Et quamvis ab Henrico III. Legati in Angliam missi, qui libertatem Stuartæ in speciem urgerent, néve ejus sanguine secures imbuerentur; occultè tamen, Regioque Chirographo additi Elisabethæ animi in Stuartæ perniciem. Causa fuit, quòd vererentur, ne, si ista florente adhuc ætate Elisabethæ superviveret, præter eximias formæ, animi-

R r r 3 que

(a) Anno 1559. & 1560. (b) V. Maimbourg Calvin. lib. 2. & 3.

que dotes, quibus animos rapiebat, junctis insuper Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque viribus, auctâque in immensum Guisiorum potentia, (a) quorum ea neptis erat, Galliæ coronam occuparent; quod ne fieret, Regiæ innocentis sanguine, ac Religionis jacturâ fortunæ ac ambitioni litatum. Hactenus à nobis hæc observata sunt, ut intelligas, veras Schismatis & defectionis causas partim fuisse dulcedinem novorum dogmatum, omnia voluptati concedentium, quæque tantò facilius credebantur, quòd & placerent, & honesti colore pingerentur; partim verò animi passionem, rationem secum more torrentis rapientium; iram videlicet, vindictam, odium, cupiditatem, metum, & si qui alij turbines animorum. Nemini verò potestas Pontificum Romanorum causa discedendi, labendique fuit, quòd eam divinis scripturis, veræque fidei adversari putarent, nisi parato jam, peractoque Schismate; tunc enim, cum huic purgando omnes rationes quærentur, concretis veris causis, mirum haud fuit, etiam Pontifices occurrissè, aut innato omnibus malis in Judices odio, aut quòd viderent, gratas esse populis in maximos querelas, aut denique quòd nunquam se tutos crederent, valente Pontifice. Exarmari ergo debuit, ne feriret.

V. II. Si ex sententia Maimburgi ideò Pontificia potestas minuenda est, quia hæretici illam averfantur, & hoc ipsum Propositiones Parisienses spectârunt, annon videt, eadem ratione Regiæ potestati bellum indici? hanc enim non minùs hæretici, quam Pontificiam oderunt, & ideò nunquam ferè Regnum aliquod hæresis intravit, ut non eodem tempore & Ecclesias, & Thronos concuteret: suntque notissima Belgij, Bohemiæ, Daniæ, Germaniæ, Galliæ, Hungariæque exempla, & hoc ipso tempore, quo scribimus. Quis nescit, quoties in vitam Leopoldi Augusti, veneno, insidijs, apertoque bello, ac Turcis in Austriam evocatis conspiratum ab hæreticis sit, ductore Tekelio Comite? In ipsa Gallia quater plenâ acie pugnatum, tercenties minoribus sed cruentis prælijs, urbes captæ, vastatæque, templa everfa, Regum sepulchra cinerisque effosi, species aliqua Reipublicæ in ipso sinu Monarchiæ educta, omnia ferro ignique scædata, ipsa Principis majestas insidijs

petita,

(a) V. Maimbourg Calvin. lib. 3.

petita, decemque Gallorum myriades indictâ causâ, & nullius culpæ comperti per tormenta consumpti, & denique nihil non actum, ut Ecclesiâ, Regnoque dejectis hæresis triumpharet. Hæ ferè sunt artes, quibus novum Evangelium ferro flammâque scriptum, ac Sanguine maceratum induci Provincijs videmus, Imperijs plerumque aut concussis, aut collapsis. Parùm ergo Maimburgus fecit, cum Pontificiam potestatem circumscripsit, hæresi placandæ; addere debuit & Regiam, quam non minùs odio prosequuntur, & Sacramenta Eucharistiæ ac Pœnitentiæ, jejunia, Celibatum, Concilia, ac omnia Ecclesiæ præcepta, quæ multò magis, quàm Pontificem averfantur, imò propter illa Pontifices oderunt: fac enim omnia hæreticis concedi, pax continuò cum Romanis erit, ac dissidia cessabunt, perinde ac Phreneticus remedia, non medicos horret, & cum istis conveniet, si illa sustuleris. Malè ergo Maimburgus medicum amoliri, non remedia voluit.

III. Sed nec alijs argumentis opus, cum experientia & exempla idipsum testentur; dicant enim si possunt, quot ad veram Religionem nuperæ propositiones hæreticos permoverint? an aliqui eorum idèò Catholicam fidem receperint, quia Pontificis auctoritas Parisijs laboravit? (a) imò si verum fateri volumus, plurimum illis insolentia & animus crevit, aut quòd gauderent, intestinis nostrorum bellis, crederentque, solutam esse eam Spiritus & fidei unitatem, quâ tantopere gloriamur, aut quòd Calvinii argumentis Gallos persuasos putarent, ad eas propositiones vulgandas, præsertim cum viderent, non alijs rationibus eas muniti, quàm toties à se propositis, sicque victos Catholicos, victores se crederent, aut denique quòd scirent, illas à turbatis, iratisque animis prodijisse, præsertim Tholosani, & Parisiensis Archiepiscoporum, sicque non tam veritati, quàm æstui ac vindictæ adscriberent, quæ fidem & gratiam non merentur.

IV. Accedit denique perpetuus Ecclesiæ usus, quæ semper in materia fidei ab hujusmodi transactionibus cum hæreticis abhorruit, quæque nunquam prosperè ceciderunt, nec alium fructum habuère, quàm ut Catholici turbarentur, nec hæretici crederent.

VI,

(a) V. Reg. Sacerd. fol. 28.



VI. Anno CCCXXV. Damnata in Synodo Nicena Arrij blasphemiam, cum Patres laborarent, quo maxime nomine Filij divinitatem exprimerent, nam quæ illi Arriani tribuebant, videlicet *Potentia, similitudinis, Imaginis, æterni*, æquè creaturis aptabantur; occurrit vox *homousij*, seu *Consubstantialis*, quam ex ipsis litteris Eusebij Nicomedienfis hausere, is enim tanquam absurdum inferebat, videlicet: (a) *Sequi filium Dei esse Patri consubstantialem, si semel admittatur, esse increatum.* Intremuit ad has voces hæresis Arriana, quibus se proditam videbat, nullo amplius latebris loco; sed communi à Patribus plausu accepta est. Nihil non actum ab Arrianis, ut eam expungerent, jurabant, se Catholicos, submittebant se Decretis Nicenis, Filio Dei divinitatem asseriebant, nec æquum esse, ut Orbis & Ecclesiæ scinderentur unius voculæ gratiâ. Audi Hieronymum: apud quem ita Arriani: (b) *De usua nomine abijcenda verisimilis ratio præbatur, quia in scripturis non invenitur, & multos simpliciores novitate suâ scandalizat, & idè placuit auferri: nec erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* Et idè contra hanc unam vocem, velut arcem veræ Religionis totis viribus in Concilijs, Hierosolymitano, Antiocheno, Sirmiensi ac Ariminenfi ab Arrianis pugnatum est: nunquam tamen persuaderi Catholicis potuit, ut in publicis fidei Confessionibus hæc voce abfisterent, quamvis eam populum discordiarum Arriani appellarent, eaque sublatâ pacem promitterent. Nec alia de causa Liberius Pontifex, Patrèsque Concilij Ariminenfis in Ecclesia pulsati sunt, adèd ut Hieronymus diceret: (c) *Conclamantam fidem Concilij Niceni, Orbemque se Arrianum miratum esse: quàm quod voce Consubstantialis abstinerent, concordia studio.* Sed quid hæc indulgentiâ Concilij Ariminenfis (d) profectum est? nisi ut ipsos Patres postea puderet, & ignaviæ ab Ecclesia, Romanoque Pontifice damnarentur, ipsi verò Arriani in pejus laberentur; nam cum vocem *Consubstantialis* abjecissent, *substantia* retinere, tum hujus vertæsi, (e) *per omnia similis*, postea *similis* tantum, & tandem *Dissimilem* reddiderunt: tanti fuit hæreticis detulisse.

VII. Anno CCCCLXXXII. Zeno Imperator edictum vulgavit, quod Henoticum appellatum est, spe, obtentuque, Eutychanos hære-

(a) Ambros. de fid. ad Grat. lib. 3. cap. ult. (b) Hieron. ad Lucifer. (c) Hieron. ibid. (n) Concil. Arim. anno 359. (e) V. Baron. ad ann. 359. n. 38.

hæreticos Catholicis conciliandi. Ejus hæc origo. Eutyches Monachus Nestorium, duas in Christo naturas asserentem, dum ardentius persequitur, eò proventus est, ut nec duas quidem naturas & operationes admitteret, sed unam tantum. Damnatus est in Concilio Chalcedonenſi, sed non idè error extinctus, quin in multis magnòſque ſerperet, Episcopos præſertim, quibus ut major doctrina, ita major ambitio, & novi cupido, unde admiratio, plauſusque ingenij. Inter illos Petrus Mogus, quem in Alexandrinam Sedem, quâ nuper ſcleribus exciderat, Zeno Imperator evexerat; Acacio nitente, & Joanni Talaidæ inſenſo, quem Alexandrini elegerant; huic crimini datum, quòd Infulas recepiffet, voto ejuratas. Sed veritas erat offenſio Patriarchæ, quem electio Talaidæ laruerat, litteris caſu amiſſis; ſed quòd caſus fuerat, contemptum arbitrabatur. Mogus Eutychianam hæreſin imbiberat, eandemque Zenoni inſtillaverat, occultè tamen ac velo teſtam, ne palam micaret. Perſuadet Zenoni, ut Eccleſiâ diſcordijs flagrante viam aliquam meditetur, componendæ pacis, animòſque ſociandi, non quòd pacem curaret, ſed ut, quòd pugnâ bellòque non poterat, deditione lucraretur, quam ſi Catholici haud inirent, quòd futurum prævidebat, novæ cauſæ ſuppeterent, eos perſequendi. Euenitque ex voto. Zeno edictum vulgat, additque cauſas dictu pulcherrimas, ſed re inanes. Nicenum, Conſtantinopolitanum, ac Ephelinum Concilia recipi jubet, Chalcedonenſe præterit, abolètque ſilentio. *Afferuntur, inquit, nobis libelli ſupplices, à pijs Monaſteriorum Præſectis, eremitis, & alijs Reverendiſſimis Viris, qui nos vehementer obteſtantur, ut ſanctiſſimis Eccleſijs reſtituatur concordia, membraque membris conjungantur. Nam quia membra Eccleſiæ non coaleſcebant, factum eſt, ut infinita hominum multitudines partim Baptiſmatis lavacro carentes mortem obierint, partim dixima Communionis minimè participes ex corporis communionem emigrârunt, quæ etiam cædes infinita inde facta. Quotusquiſque igitur eſt, qui non optârunt, iſta corrigi, inque meliorem ſtatum reduci, &c. Vides, quàm ſpecioſæ rationes huic edicto prætexantur, ſed quo eventu? tantum abſuit, hæreticos leniri, pacemque componi, ut illi quidem optatis potirentur, & victoriâ inſolentes, obtentuque rejectæ pacis, tantò acerbius Catholicis inſultarent, nec idè tamen Henotico placarentur. Cùm enim ab Henotico Concilium Chalcedonenſe non*

S ff

ſatis

fatis clarè damnaretur, à Patriarcha Alexandrino Petro Mogo deficiunt, unde illis Acephalorum nomen. Ergo nec hæreticis edicto, nec Catholicis satisfactum, auctis potius, quàm sopitis turbis, qui plerùmque exitus solet esse istarum transactionum, ut bene illic notat Baronius. (a) Et ideò Felix Papa in epistola ad Zenonem scripta, Henoticum perstringens: *Non est hoc, inquit, acerrimum decessisse periculum, quando nec saucys firma adhibetur curatio, & sanis ingeritur miseranda contagio. Quid est illud dicere, jam causam nullam superesse certaminis, nisi hæreticis tribuatur victoria?*

VIII. Anno DCXXXIII. Cyrus Patriarcha Alexandrinus Eutylianâ hæresi rinctus, quam tamen studiosè premebat, utpote toties damnatam; Synodum Alexandriæ (b) cogit, effecitque, ut Episcopi conciliandæ inter Eutychianos & Catholicos paci mediam viam inirent, assertis quidem contra Eutychen duabus in Christo naturis, sed ut aliquid ei concederent, redderentque in Catholicos proniorem, duabus voluntatibus & operationibus suppressis, pro quibus dicendum esse statuerunt, *unam Theandricam, seu Dei virilem voluntatem & operationem.* Causa prætexebatur, quòd ex una parte & re ipsa duæ voluntates & naturæ contra Eutychen docerentur; sicut enim, qui diceret, *vas aureo argenteum*, duo metalla innueret, unum auri, aliud argenti; & cum dicimus, *globum terraqueum*, significamus, globum ex duobus elementis compactum, terræ videlicet & aquæ; ita qui diceret, *voluntatem Dei virilem*, duas voluntates & naturas exprimeret, divinam videlicet & humanam. Ex altera verò parte hac moderatione, & unius vocis compendio omnes hæreses & bella componi, nam & Apollinaristas, qui loco animæ vel intellectûs verbum in Christo ponunt, & Nestorianos, qui non aliam unionem agnoscunt, quàm secundum affectum & voluntatem, Eutychianos, qui unam Christi naturam in eo convenire, ut unam voluntatem admittant; istos omnes Catholicis fœderari, duabus voluntatibus non quidem negatis, sed suppressis silentio. Audi verba ipsius Decreti Alexandrini: *Domino Christo vero Deo nostro omnibus præfulgenti, omnisque ad saluberrimam & veram ejus fidem dirigenti, & in unam Sanctam, tandemque Ecclesiam Catholicam convocanti præsentem satisfactionem facimus pro unitate Sanctarum Dei*

(a) Baron. ad ann. 482. n. 43. (b) Sexta Synod. act. 12.



cendis duabus operationibus probaret, quæ res Honorium hæresis suspectum reddidit, falsò id quidem (ut ex ejus (a) epistolis ad Sergium datis clarissimè constat, & ex Dialogo S. Maximi (b) contra Pyrrhum Monothelitam, ubi duas voluntates, duasque naturas agnoscit) sed tamen ex Sergij voto, Honorij auctoritate ad firmandam hæresin abutentis, nec aliud Monothelitæ optabant, fallacissimo pacis obtentu; ipsùmque Heraclium Imperatorem lucrati sunt, à quo etiam *ethesis* illa prodijt, tot votis & Concilijs damnata, ipsique Sergio fatalis, eodem quippe anno vitâ excessit, quo illa prodijt. Hic ergo fructus compositionis fuit, falli, scindique Catholicos, regi verò hæreticos, reddique fortiores. Idemque ab hæreticis quæsitum Constantis Imperatoris edicto, quod Typum appellârunt. Paulus enim Patriarcha Constantinopolitanus, & hæresi corruptus, cum istam ubique, præsertim in Ecclesia Occidentali proscripam videret, Constanti Imperatori persuadet, ut duas voluntates, aut unam dici edicto prohibeat, ac silentium partibus imponat: & pax edicto prætentâ; vera enim causa, ut notat S. Maximus Martyr (c) in Disputatione cum Pyrrho, fuit; *ut quoquo modo vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus expressa sententia.* Et idem Martinus Papa, cum in Synodo Lateranensi eum Typum damnâset, egregiè illius causas refutavit; verba Synodi sunt: Sancta Synodus dixit: (d) *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes, pro causa fidei, sed non est utile & bonum, cum malo destruere bonum, id est cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata, quoniam hoc potius exurit, non mitigat.*

IX. Anno MDXXXIV. Maximè enituit, quàm sint inutiles hujusmodi cum hæreticis transactiones, & neutri parti satisficiant. Decreverat Carolus Imperator Francisco Galliæ Regi totis viribus bellum inferre, frustra Paulo Pontifice pacem suadente.

(a) Epist. Hon. ad Serg. act. 12. & 13. in 6. Syn. (b) S. Maximus disput. adu. Pyrrhum. apud Baron. tomo. 8. annal. ad ann. 645. V. Reg. Sacerd. fol. 347. (c) S. Max. in disput. cum Pyrrho Monoth. anno 645. (d) Concil. Lateran. sub Mart. PP. Secret. 4. anno 649.

dente. Eum in finem quavis ratione Principes Germaniæ ad-  
jungere sibi statuit. Comitia Spiræ indicta, quò Septemviri  
omnes, & Ferdinandus Frater convenère. Protestantibus tantò  
major audacia, petendique licentia, quòd Cæsarem auxilij egen-  
tem, cupidumque viderent. Ergo edictum Augustanum Pro-  
stantibus infestum suspendi impetrant. Secuta alia constitutio,  
quà pacis, animosque omnium componendi gratiâ, dum Con-  
cilium Oecumenicum conveniret, multa interim statuebantur;  
ejus inter alia capita hæc etiam erant: (a) Concilium Oecumenicum  
Christianum ac liberum in Germania conveniret, aut saltem Nationale. Quòd  
si hæc haberi non possent, Conventus proximo autumno aut vere haberetur, in  
quo viri docti de Cæsaris auctoritate usq; ad proximum Concilium decernerent,  
quid observari, quid omiti oporteret, nullâ Pontificis mentione, interim super-  
federetur quæstionibus de bonis Ecclesiæ direptis, Protestantes essent idonei, ut Ju-  
dicijs Cæsareæ Camera assiderent, unde prius arcebantur; Catholici vetera vici-  
galia Ecclesijs solverent, etiam quas hæretici occupabant; tam ex hæreticis, quàm  
Catholicis ludimagistri eligerentur & Concionatores, quibus stipendiâ vel ex Ec-  
clesijs, vel ex pjs largitionibus fidelium praberentur; usus quoque Calicis, &  
Sacerdotum, qui ad Lutherum defecerant, Matrimonia permittentur. In reli-  
quis ferè omnibus, qua dogmata spectant, jubebantur Lutherani Catholicis assen-  
tiri. Hæc ferè capita illius edicti, quibus, ut vides, aliqua Catho-  
licis, aliqua hæreticis tribuebantur, imò hæreticis omnia, nam  
Catholicis pleraque demebantur, nullo additamento. Præcipui  
Prostantium edictum respuère, videlicet Bucerus, Musculus,  
Osiander, Brentius, Fridericus Saxonæ Dux, & ipse Calvinus.  
Sed Catholici multò maximè, aded ut alij Carolum Zenoni, Hera-  
clio & Constanti compararent, alij palàm ex eo quærerent: An ergo  
ad Lutherum defecisset? & Paulus Pontifex, quamvis ætate jam præ-  
cipiti, multisque vinculis ob Farnesiam familiam Carolo adstrictus,  
nec ejus potentiam veritus tot victorijs florentem, gravissimis ad  
Eum litteris abrogari hoc edictum aut corrigi jussit: planè Catho-  
licam Religionem vehementer afflixit, Lutheranis ab eo tempore  
multò potentioribus, & hæresi palàm exultante, ac passim victri-  
ce, tantumque abfuit, hæc Transfatione eam leniri, ac intra certos

Sff 3 termi-

(a) V. Palav. hist. Conc. Trident. lib. 5. cap. 5. à n. 2. & cap. 6. & 7. & Breve  
Pauli III. anno 1544.

terminos contineri, ac Concilio, quod promiserant, submitti, ut potius insolescerent, & nunquam magis Concilio adversarentur. Cognovitque ipse Carolus errorem, quando à Spirensi Decreto paulatim recessit, maximo Protestantium dolore, parique indignatione, qui ferre non possent Cæsarem Pontifici obsequentem.

Maimburgus historiæ, quam de Lutheranismò scribit, hanc quoque de Constitutione Caroli Imperatoris narrationem intexit, eamque eo præsertim nomine excusat: (a) *Quod illà nihil contra Catholicam fidem statutum fuerit, sed duo tantum in Protestantibus tolerata, usus videlicet Calicis, & Matrimonia Sacerdotum, qui defecerant. Cur verò tolerari non potuerint duo, quando ob temporum injurias tolerari tota hæresis debuit? num ergo majoris culpa fuit, aliqua ferre, quàm omnia? Hæc qui in Maimburgo legat, ipsam verò rerum historiam ignoret, verissima esse credat, & quibus opponi nihil possit. Cæterum id Maimburgum deficit, quod toties profitetur, bona vid: fides, & veritatis accurata enarratio. Nunquam Paulus Pontifex, quòd aliqua permetteret, toleraret aut conniveret, Carolum incusavit; quis enim nescit, tolerari flagitia posse, cum curari non possunt, aut pejora timeantur? sed quòd Concilia, Convèntusque, in quibus de Religione ageretur, promitteret, nullà Pontificis mentione, cuius rament officij & potestatis est, ea indicere, illisque præfidere; quòd bona Ecclesiastica hæreticis permetteret, spoliatis Catholicis, idque Edicto sanciret; quis verò nescit, quantum in simili, imò eadem causâ Chrysostròmus & Ambrosius cum Principibus, Theodosio & Arcadio conflixerint? quòd Scholis, sacrisque Concioni- bus hæreticos æquè deligi juberet, eosque stipendijs Ecclesiarum conducì, immenso Juventutis damno, nec ista Pontificis auctoritate, sed suâ sanciret. Et quamvis non perpetuum hoc Edictum, sed temporaneum & provisorium diceretur, usque dum vid: *Liberrum & Christianum Concilium ac Universale conveniret*; verba hæc tantum erant, rebus cassà, quis enim tam obtusæ mentis esset, qui non prævideret, nunquam pro legitimo, libero, ac Universali Concilio à Protestantibus habitum iri, cui Pontifex præsedisset, & in quo ipsi non vota conferrent? perpetua ergo erit Contentio, non prius finienda, quàm Concilium conveniret Protestantibus placitum, nunquam*

(a) Maimbourg du Lutheran. lib. 5. fol. 204.

nunquam enim placitum erat. Deinde quis posset spem aliquam concipere, bona, proventusque Ecclesiasticos semel in manus hæreticorum collapsos, iterum ad Ecclesias ac legitimos Dominos redituros? ac Protestantes in Scholas, in Cathedras, in Tribunalia ac Dignitates receptos, illinc iterum, ut primum Cæsari ac Concilio placeret, excessuros? Idque eventus comprobavit. Celebrato enim, finitoque Concilio non idem finita sunt, quæ Cæsar illis concesserat, aut quæ ipsi usurpaverant. Merito igitur Spirense hoc edictum Paulus damnavit, rescindique voluit. Nec obstant, quæ de temporum injuria ac necessitate dicebantur componendæ pacis. Pax enim, quod toties Pontifex rogaverat, cum Francisco potius Galliarum Rege, quam cum hæreticis componenda erat, id enim & Religioni, & Imperio, ut postea paruit, magis conducebat, cessavissetque necessitas, tam multa, & tam noxia indulgendi, pace cum Gallis confectâ. Sed dum æmulatio, & cupido gloriæ, ac spes vindicandi Cæsarem urgent, armantque in Gallos, cum Protestantibus fœdus successit, quod etiam Maimburgus observat, deploratque in sua de Luthero historia *lib. 5.* raro alioquin Carolo propitius, nisi cum Pontifici oblectatur. Deinde ut bene Pontifex notavit in Diplomate ad Carolum; nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliquo pietatis aut utilitatis nomine vestiatur; nec verò tanta necessitas fuerat, ut oporteret, Carolum tam multa circa Religionem, tantique periculi statuere, nec audito, nec rogato Pontifice, imò ejus Legato Wormatiæ dimisso, ne à Carolo destinata moraretur. Hæc sola Pontifex arguebat, ut ex illius litteris ad Carolum patet, & tamen hæc omnia Maimburgus præterit, producitque in medium, quasi à Pontifice reprehensa, quæ nunquam reprehendit, tolerantiam videlicet Calicis & Nuptiarum, omittit verò, quæ planè reprehensa sunt. Ergo cum Edictum Cæsaris contra Pontificis sententiam excusat, perinde facit, ac si quis Advocatus Judici reum purgaret, tacitis veris ejus delictis, ijs verò dilutis, quæ nunquam fecit, & quæ nemo objecit. Quæ artificia, quantum à candore & veritate historica aliena sint, præsertim in causistanti momenti, nemo non videt, abrogantque Maimburgo fidem, etiam vera dicenti, quippe fraudem semel deprehensam semper timemus.



X. Anno MDCX. Tentata est Concordia Nestorianos inter, Romanamque Ecclesiam. Ejus occasio hæc fuit. Venerant Romanam, dum illic Sacrum tempus ageretur, duo ex Chaldæa Viri, hæresi Nestorianâ tincti. Excepti humaniter, donatique, & ex illorum numero fuere, quibus Paulus V. Pontifex Max. pedes abluir, detersitque ac osculo libavit. Rapuit illos Majestatis Romanæ admiratio, tantâ præfertim charitate ac modestiâ mixtæ, reversique in Patriam Eliæ Babylonico Patriarchæ omnia, quæ Romæ viderant, acceperantque, narrant, immenso præconio. Exarsit is protinus, flagravique desiderio Societatis Romanæ, sed obstabat suorum in Nestorium amor, quem ut Sanctum colebant, sciebantque Romanis execrationi esse; modum ergo excogitat, quo & Nestorium, & ejus doctrinam retineret, & tamen Pontifici probaret. Quatuor ferè propositionibus totus Nestorij error continetur. Prima: *Beatissimam Virginem nec esse, nec dici debere DEI, sed tantum Christi matrem.* Retineri hanc Propositionem volebant, eâ tamen interpretatione mollitam, ut dicerent; ideò à Chaldæis Nestorio addictis non vocari DEI genitricem, quia Deitas non generatur, quantumvis, cum Christus etiam sit Deus, æquè in hoc sensu Deipara vocari possit. Secunda propositio hæc erat: *Dua in Christo sunt Persona.* Hanc sustineri posse dicebant, si duarum Personarum nomine duas naturas singulares intelligas, quas in Christo esse nemo ex Catholicis negat; quamvis etiam una Persona dici possit, propter unionem utriusque naturæ; unio enim facit ex duobus unum. Tertia propositio: *In Christo est una voluntas.* Una, inquit, & duplex, quia utraque natura voluntate suâ & propriâ pollet, una, quia perfectè sibi consentiunt. Quarta Propositio: *Spiritus S. ex Patre, non ex Filio procedit;* intellige ex Filio tanquam ex alio Spiratore, aut ex alia spirandi virtute, est enim unus cum patre Spirator, & eadem spirandi virtus; in alio tamen sensu, ut duæ sunt, distinctæque Personæ, ex Patre Filioque dici poterat procedere. Sic Babylonius Patriarcha conciliari posse credebatur Chaldæos, Latinosque, ambigua vid. verborum formâ, & in utrumque sensum contextâ; perinde ac si unitas & veritas fidei ex verborum specie, ludoque, non ex sensu penderet. Missus ad Pontificem Romanum Adam quidam

quidam Orientis Archimandrita, & Ecclesiæ Babylonice Archidiaconus, qui si posset, ita Romanæ Ecclesiæ Babylonicam sociaret, ut tamen Nestorium retinere, ejusque propositiones liceret, sanã tamen interpretatione purgatas. Auditus est Romæ, ejusque subtilitates expensæ, quibus conabatur mendacium veritati, Nestorium Christo fœderare. Sed responsum est illi: *Nunquam ejusmodi artificia Catholica Religioni bene vertisse: veritatem sine furo & larva incedere, sui securam, nec piguentis ac velis egere: hanc falsi indolem esse, ut videri pudeat, seque latebris involvat. Si rem ipsam tenerent, cur verba resugerent rebus exprimendis necessaria? errorem enim in verbis admissum ad res ipsas derivari; nam si aquila v. gr. nomen equi imponas, non decrit, qui inferat, aquilas hinnire, & quadrupedes esse; non ergo satis esse, ut in rebus fidei ac Religionis bene sentias, nisi etiam bene loquaris, quippe sermonem animi testem ac indicem esse, & velut ex sono metallum, ita animum fidemque verbis aestimari, fallique saltem audientes, nisi illa vero consentiant. Nihil quidem Pontifici supra pacem & concordiam esse, tamen bonis artibus quaesita, alioquin etiam turpem victoriam pudori esse, nec diuturnam fore, arenã tantum, plumisque subnixam, hoc est, verbis, non rebus constantem.* Hæc Archi-Diacono responsa, nec ille abnuvit, ejuravitque Nestorium, non idem tamen Patriarcha, Chaldæique permoti, qui erroribus institere: isque perpetuus ferè eventus fuit tentatæ cum hæreticis concordia.

Multa ex hæcenus dictis colligere liceat; nunquam vid: hujusmodi in rebus fidei Transactiones bene Catholicis cessisse, nam & istos turbârunt, nec hæreticos vicere: imò animus istis, & factus ac insolentia crevit, seque victores, victos illos ferebant; nec alio fine inducijs illis utebantur, quàm ut interim suas partes auferent, tantoque liberius suis erroribus alios inficerent, quod amici, non hostes haberentur, fallerentque incautos obtentu concordia, mentitaque pietatis, quæ semper fraudi miscebatur. Alij tempus & occasiones lucrabantur. Alij ut aliquid obrinuerant, gradum ad alia proferebant, nec prius cessaturi, quàm fastigio potirentur, quod de Arrianis ostendimus. Alij denique privatas affectiones vindictæ, odijque communi prætextu Religionis & concordia celabant, utramque prodituri, ut illas explerent. Verbo, nunquam feliciter & sine damno transactum cum hæreticis est, etiam cum de vocibus tantum certamen vertebatur;

batur; quantò id magis timendum, quando non de vocibus, modòque loquendi, sed de gravissimis rebus cum Gallis conflictamur? Pontifex Concilio subiaceat, Pontifex errare possit, & ideo nemo Pontifici parere teneatur, quamdiu ratio aliqua non obtemperandi occurret, occurret autem semper, & hoc pretio pax cum hereticis fiat, imò tantum speretur. Quæso quid hoc est aliud, quàm Ordinem Ecclesiæ adimere, sine quo non Regna tantum & exercitus, sed ne familia quidem, domusque privata consistere potest? quàm Caput & Gubernatorem è medio tollere, & necessariam imperandi facultatem, trunco corpore, & in casum pendente? & quis tanto præsentique periculo incertam spem emat, hæreticos convertendi? Quanquam nemo non videt, prætextum hunc esse, speciem inanem fallendis, ludendisque simplicium oculis. Quis enim credat Archiepiscopos irâ, vindictâque in Romanum Pontificem calentes, huic bellum intulisse, Religionis potius & concordie studio, quàm animi sui & offensæ causâ? & cur illos hic ardor hæreticos convertendi, ac Vaticanum oppugnandi tunc primum incendit, cum ultionem meditabantur? Pace ergo illorum dixerim; quidquid in ijs Comitibus (a) agitabatur, non hæreticis, sed vindictæ datum; odium, non Religio fuit; sed hæc ostendi debuit, ut illud tutius & ex occulto feriret.

## § II.

Agitur de Prima Conventionis Parisiensis Propositione. *Ecclesiæ Gallicane consensus pro Pontificis indirecta potestate in Reges & Principes, eorumque Bona & Dignitates temporales.*

## SUMMARIA.

1. *Ecclesiæ Gallicanæ autoritas Parisiensibus Propositionibus prætexta exemplo omnium ferè Hæreticorum, & quam ab causam?*

2. *Atq;*

(a) V. Reg. Sacerd. in prælud. § 2.

2. *Auctoritas Pontificia in Reges exercita exemplis Galliam spectantibus probatur. & primò Gregor. II. in Leonem Isauricum.*
3. *Et Zachariae in Childericum Regem.*
4. *Et Stephani Pontificis.*
5. *Et Hadriani in Desiderium Regem.*
6. *Ejusdem Hadriani in gratiam Caroli M.*
7. *Et Leonis III. Imperium Romanum in Carolum Imperatorem transferentis.*
8. *Et S. Gregorij M.*
9. *Aliud ejusdem Gregorij exemplum.*
10. *Et Episcoporum Galliae in Ludovicum I. Imperatorem.*
11. *Iterum Galliae Episcoporum in Lotharium Imperatorem.*
12. *Et Nicolai Papae.*
13. *Et Hadriani II. in Carolum Calvum.*
14. *Et Fulconis Archiepiscopi Rhemensis in Carolum Simplicem.*
15. *Et Concilij Lateranensis sub Alexandro III.*
16. *Et alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III.*
17. *Innocentij IV. in Fridericum Imperatorem.*
18. *Et Clementis V.*
19. *Et Concilij Constantiensis.*
20. *Et Concilij Viennensis.*
21. *Et Concilij Basileensis.*
22. *Et Concilij Tridentini.*
23. *Et Universitatis Sorbonicae.*
24. *Et totius Cleri Gallicani.*
25. *Et Testimonijs celeberrimorum in Gallia Doctorum.*
26. *Multa in rem nostram contra Maimburgum ex dictis colliguntur.*



## I.

**R**opositiones nuper Parisijs editæ, ut tantò pluribus probarentur, auctoritate ac nomine Ecclesiæ Gallicanæ adornatæ sunt, cum enim nec ratione, nec usu, nec antiquitate fulcirentur, quin potùs hæc omnia obfisterent, auctoritas quæsitæ est, & quod rei deerat, titulo compensatum. Sic falsis corruptisque nummis effigies & elogia Principum imponi videmus, ut fallant incautos, tegatque metalli vitium imaginis reverentia. Quem verò non caperet auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ? & istam omnibus ferè paginis Maimburgus inculcat; nemo enim, qui illam Magistram habet, errare se credat, aut, si erret, excusari errorem posse, imò laudari tam grandi exemplo. Et hæc causa fuit, ut nemo hæreticorum Spiritui S. aliisque sanctis Doctoribus sua dogmata non imponeret, ut tantò dulciora essent eorum auctoritate ac exemplis condita. Ebion sanctum Petrum, Arriani Lucianum Martyrem, Origenem, ipsùmque Antonium Magnum, Pelagiani Augustinum, Zosimum, Clerumque Romanum jaçtabant, alij alios. Et ultimis hisce temporibus quid non Lutherus & Calvinus egère, ut suis opinionibus primitivam Ecclesiam favere ostenderent? Ergo nihil novi est, magnos Patronos magnis erroribus quæri, imò & præferri, quo populi faltem studia, animique captantur, istis enim nec tempus, nec cura est, ut, quid singuli scripserint, explorent, sicque magno illo strepitu, umbrisque nominum ludi se nesciunt, fallique, & tamen falluntur. Idem Maimburgo consilium fuit, cum toties Propositiones Conventùs Parisiensis pro doctrina Ecclesiæ Gallicanæ jaçtavit, pulcherrimo quidem, sed falsissimo elogio, nihil enim ab Ecclesiæ Gallicanæ sensu, doctrinæque alienum magis dici aut scribi potuit; toties enim Ecclesia Gallicana, & in publicis Conventibus, doctrinà, exemploque contrarium professæ est, ut mirari subeat, quinam sint illi Galli, qui tantum à Gallis absunt, aut quænam sit illa Ecclesia Gallicana, quæ Ecclesiæ Gallicanæ tantopere ac palàm adversatur, quod jamjam longâ inductione, pèrque omnes

omnes Ordines Ecclesiæ Gallicanæ dicere aggredimur, lectoris arbitrio relicturn, utra Ecclesiæ Gallicanæ sententia dici debeat, nostra, quæ tot seculis & ab omnibus Galliæ ordinibus recepta est, & tot publicis actibus expressa, an Maimburgi, quæ nuper, & à paucis, ijsque aut metu, aut spe, aut irâ corruptis, Parisijs prodijt.

II. Anno DCCXXXI. Cùm Leo Isaurus sacras Imagines totâ Græciâ persequeretur, eosque, qui amplecti hæresin nollent, exilijs, proscriptiõibus, tormentis vexaret, ipsius Deiparæ Virginis, omniumque Sanctorum icones in Urbe Regia uno fasce incendisset, ipsamque Italiam invaderet, Sicarijs in Pontificem missis, feralique edicto, quo Imagines tollebantur, Romæ proponi iussu, Gregorius II. Pontifex Maximus, cùm nec à Græcis, nec à Longobardis, Venerisque auxilium speraret afflictæ Religioni, fœderis cum Carolo Martello, Gallisq; adversus Græcorum Imperatorem sancit, Consulatum Carolo Principi offert, eumque missis, acceptisque Legatis, ac juncto fœdere in Italiam vocat, venissetque, nisi mors occupasset. Erat verò Consulatus dignitas supremæ proxima (saltem si Patritiatum excipias) quod Ovidius illis versibus indicat: (a)

*Qui quamquam est ingens, & nullum Martia summo  
Altius Imperium Consule Roma videt.*

Solusque Imperator Consulatum designabat, ut disertè notat Flavius Vopiscus in Aureliano. Consulatus jura, lapsâ jam, extinctâque Republicâ hæc erant: Senatui rogare, jus dicere, tutores dare, manumittere, vectigalia locare, Ludos & præsertim Circenses edere, annis nomen dare (quod Justinianus abolitum voluit, (b) & annos ab Imperatoribus dici) togâ pictâ seu palmatâ uti, quæ olim triumphantium propria tantum, purpurâ, aurorque intexta, & quam etiam Trabeam appellabant. Justinianus (c) voluit lege editâ, Imperatores jugi Consulatu fungi. Oblatum ergo à Gregorio Consulatum Romanum Martellus acceptavit, præmisitque Abbatem Corbejensem, qui fœdus cum Romanis iniret, sponderetque auxilium, ipse secuturus, nisi mors obstitisset. Gregorius

T t t 3

nihil

(a) Ovid. de Pont. lib. 4. eleg. 9. (b) Lipsius de Magistr. Pop. Rom. cap. 8.  
(c) Justinian. Nov. 105.

nihil interea omittere, ut Leonem molliret, rogare, minari, Italiae populos, ne à Græco deficerent, quod jam parabant, cohibere, Legatis agere, & totos quinque annos flectendo Cæsari impendere; quæ omnia cum frustra essent, Leone implacabili, & in dies pejori, Gregorius coactus Romæ Synodo, (a) ut Zonaras testatur, anathemate Leonem ferit, prohibetque vestigalia persolvi, quibus in Italiae & Ecclesiae perniciem utebatur. Hæc in Leonem Gregorius, quæ ut fiant clariora, Auctorum testimonia adscribam.

Fredegarius, qui iussu fratris Caroli Martelli scripsit, & historiam Gregorij Turonensis profecutus est: (b) *Eo tempore, inquit, B. Papa Gregorius bis à Roma claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis & infinitis, Legatione memorato Principi destinavit, eo pacto patrat, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Consulatam prefato Principi sanciret. Ipse uaque Princeps mirifico & magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera magnifica obulit, atque cum magnis premijs cum suis sodalibus missis Grimonem Abbatem Corbejenfis Monasterij, & Sigebertum Reclusum S. Dionysij Romam ad Limina SS. Petri & Pauli destinavit.*

Theophanes: (c) *Comperio Leonis Imperat. proposito Gregorius Papa Romanus, scripta prius ad ipsum decretali epistola, quæ de fide quidquam statuere, & antiquæ Ecclesie sanctità à sanctis Patribus firmata innovare, aut convellere, non decere Imperatorem commonet, Italia tandem ac Roma tributa deferri ad illum prohibet.*

Et ad annum Leonis 13. In Seniore verò Roma Gregorius Vir Apostolicus, & Petri verticis Apostolorum Confessor verbo & actu coruscans, qui removit Romam & Italiam, nec non & omnia tam Reipubl. quam Ecclesia jura in Hesperijs ab obedientia Leonis.

Et ad annum 730. Gregorius Sanctissimus Presul Leonem per epistolas tanquam impie agentem redarguens, & Romam cum tota Italia ab ejus Imperio recedere faciens.

Cedrenus: (d) *Anno nono Leo impius capit de sacris imaginibus everendis sermonem facere, quo cognito Gregorius Roma Papa tributis Italia & Romam eum prohibuit.*

Et iterum ubi de evecto Anastasio in Cathedram Germani egit: *Roma autem Gregorius Apostolicus Vir à Leone ob ejus impietatem desistit, & pacto cum Francis icto tributa Leoni denegavit.*

Zonaras

(a) Zonar. T. 3. in Leone circa f. (b) c. 110. in Chron. floruit sec. 8. (c) Theopht. in Chron. in vita Leon. floruit circa ann. 727. (d) Cedr. in Leon. ad ann. 9.

Zonaras in suis Annalibus : (a) *Qua de causa Gregorius, qui tunc Roma veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata Praesidis nova Romae societate, nec non eorum, qui illum sequebantur; illos cum eorum Imperatore Synodico anathemate obstringit, & veestigalia, quae ad illud usque tempus inde pendebantur, inhibuit, isto cum Francis foedere.*

Vides in hoc exemplo, quantam cautelam, prudentiamque, & quibus gradibus contra Imperatorem Gregorius processerit, quae nisi observentur, plus mali ab extremis hisce remedijs, quam boni expectes. Primum nullum finem monendi, curandique Imperatorem, per litteras, Legatos, preces, minasque fecit; nec idem abrupit, cum obstinatum vidit, flectique nescium; ferri potuit, dum intra Graeciam saeviret: ubi haeresis & edicta in Italiam parabantur, nec mitiora proficerent, ad extrema deventum est, prius tamen securitati, quam remedijs provisum, nec consilijs inermibus creditum; a potentissimo Principe, amicoque auxilia petita, foedus conjunctum, vires sociatae, honores, fascisque Romani, praeludia Imperij, oblata, Synodus acta, anathemata vibrata, & tandem rebus omnibus dispositis, maturisque, nec alias moras periculo patiente, Imperium Leoni abrogatum, nec illud torum, sed ea tantum parte, quae magis egebat, servarique poterat, Italia videlicet. Tantumque abfuit, hoc exemplo Francos offendi, aut Clerum oblectari, quasi Gregorius inconcessa tentaret, ut potius foedus cum eo jungerent, Consulatum admitterent, sponderentque suppetias adversus Graecos; agnovit ergo Gallia hanc, quam defendimus, in Pontifice potestatem.

Maimburgus ut hoc exemplo se liberet : (b) *Duas in Gregorio personas distinguit, Pontificis videlicet, & Civis Romani; ut Pontificem, monuisse, rogasse, minatum esse, populos ne deficerent cohibuisse; ut vero inter Cives Romanos praecipuum, jure naturalis defensionis usum, cum alijs Romanis conspirasse, ac jugum Graeci Imperatoris excussisse, externo Principe invocato. Haec Maimburgi responsio est, qui eam potestatem, quam nos Pontifici Romano, ipse subditis & Civibus in Reges concedit, eamque ad defensionem Juris naturalis pertinere dicit, & similem ei facit, quam quilibet de plebe habet, ut furenti Regi, aut phrenesi capto gladium extorqueat.* (c)

Jam

(a) Zonar. T. 3. anal. in Leon. Isaur. circa f. floruit circa ann. 1120. (b) Maimb. Traitè de l'eglise de Rome cap. 29. & des Iconocl. T. I. f. 148. (c) V. Reg. Sacerd. f. 242.



Jam ergo Maimburgus potestatem abdicandi Reges subditis Regni, imò unius Provinciæ tribuit, an verò id magis decorum, consultumque Regnantibus, quàm si illos Pontifici Romano, Christianique Vicario subdas? quòd si nihil eorum majestati, quieti, ac potentiae obstat, ut judicari, puniri que ab eis possint, quibus ipsi imperant, quantò minus si ab eo, cui obsequuntur, quemque ut Patrem reverentur? Quòd si jure naturalis defensionis id subditis licet, ne Respublica concidat, quantò magis eodem Jure naturalis defensionis id liceat Pontifici, ne Ecclesia pereat? nec enim Jura naturalis defensionis minus Pontifici, quàm Civibus permittuntur. Nec erit puto Maimburgus tam inhumanus, ut potestatem extorquendi ferrum è manu furentis Principis, quam pedissequo & lixæ concedit, Pontifici neget; nam si coerceri furentem Principem oporteat, meliùs id, honestiùsque Pontifex, quàm alius fecerit. Ubi verò sunt illa, & ingentia mala, quæ ex hac potestate Pontifici data Convenus Parisiensis consequi ominatur? dicunt enim, *invidiosam illam, & gravem Principibus, ac populis esse;* at verò, si hanc ipsam potestatem civibus, populisque uniusurbis, aut Provinciæ tribuas, non erit invidiosa, non gravis? an unquam causæ deficiendi, ac Principes inculpandi subditis deerunt, si semel id eis liceat? Malè ergo Majestati Regnantium Maimburgus consuluit, quando non uni tantum Pontifici potestatem Reges abdicandi permisit, sed singulis penè Urbibus ac Provincijs, nec enim totum Imperium à Leone Imperatore, sed Roma tantum, & Italiæ aliquot Provinciæ defecerunt. Hùc ergo redit tota Maimburgi disputatio, ut Imperia, quæ nos Pontifici, ille populo submittat, simili damno, & fœdiore servitute.

Et denique si datur aliquis casus, quo Principes saltem à Regni statibus, & in Comitijs Generalibus exauctorari possunt, & subditi Juramento solvuntur; ergo quando is casus adsit, & quando Juramenti obligatio cesserit, pertinebit ad Summum Pontificem declarare (ad hunc enim causæ majores & Juramentorum spectant, (a) nec Galli dissententur) si ergo Pontifex declarat, Romanos

(a) Causæ maj. & Juram. pertinent. ad Summ. Pontif. V. DD. in c. 1. de Transl. Episc. Canonum lib. 6. cap. 4. Cler. Gallic. ap. Grammond. lib. 1. f. 65. Maimb. Tr. de l'eglise Romaine cap. 5. & 13. de jud. & cap. 34. de elect.

nos juramento Græcis exhibito non vinciri, eosque Imperium alijs posse deferre, certum erit, Juramento liberari, ac in alios Coronas deponi, nullâ Imperantium injuriâ: siue ergo potestas, quam Pontifices in Reges exercent, sit declarativa, siue decisiva & statuta, certum est, ex principijs Maimburgi negari eam haud posse, eique Reges subiacere, quemadmodum si centum aureos gemmario debeam, quia is adamantem mihi vendidit: eo verò aut gemmam non exhibente, aut falsam; si judex pronunciet, me obligatione centum aureos præstandi solutum esse: certum est, me nihil debere, nec petere aliquid venditorem posse, quamvis Judex declaraverit potiùs, debitum nullum, aut extinctum esse, quàm ut illud sustulerit. Sic ergo Pontifex, seu declaret, seu statuat, potest Regibus, cum necessitas fuerit, Coronas adimere; neque id magis eorum minuit, læditque majestatem, quàm si hoc ipsum Subditis permittas, quod facit Maimburgus. Cæterum hæc ita dicuntur, quasi concedam, Gregorium non Pontificis partes, sed Civis egisse, quando Italiam Græcis, & Imperium, & tributa ademit. Sed veritas est, eam distinctionem frustra à Maimburgo, & infeliciter repertam; frustra quidem, quia nullo Auctore: infeliciter, quia nullo effectu, imò pari aut majori damno; quis enim ferat Maimburgum, toties profitentem, se omni subtilitate ac distinctione abstinere velle, solâque historiâ contentum ea narraturum, quæ vel soli invidiam faciant, nec ab ullo mortalium negari possint; nunc verò ubi urgeri se videt, ad distinctiones recurrere à nullo Auctorum traditas, à nullo cogitatas, quæque nec ipsi Maimburgo incidissent, nisi, premente veritate, aut fateri cogeretur, quod novit, aut dicere, quod nemo crederet; nullus enim ex citatis Auctoribus aliud dicit, quàm Gregorium Pontificem ad Martellum Legationem destinasse, Consularum obtulisse, prohibuisse tributa deferri & alia, quæ nimis clara sunt, ut corrupti aut fuscari sinistra interpretatione possint. Nec tantum Maimburgo debemus, ut ei nullos testes alleganti, ac post tot secula scribenti, nimumque partibus adducto majorem fidem præstemus, quàm Fredegario, Theophani ac Zonaræ, res suorum temporum, & vicina narrantibus, quibus etiam adde Sigonium ita loquentem: *Gregorius Pontifex decretum proposuit, quo Leonem Imperatorem priorum communionem removit, ac mox Ita-*

U u u l i a

lia populos Sacramenti, quo se illi obligaverant, religione exsolvit, & ne ei aut tributum darent, aut aliâ ratione obedirent, indixit. Ubi vides Gregorium non Civem, sed Pontificem egisse, ad hunc enim pertinet populos Sacramenti religione absolvere. Idque etiam ex eo evidenter deducitur, quòd citati auctores hisce verbis utantur: *Consulatum sancivit, tributa deferri prohibuit, vectigalia inibuit, foedus cum Francis percussit, ne obedirent indixit*; quæ verba superioritatem omninò indicant, qualem Gregorius ut Civis supra Romanos non habuit, ea enim tota ad Imperatores & Exarchos pertinebat; non ergo ut Civis, sed ut Pontifex Romanus prohibebat, inibebat, edicebat, inibatque cum externis Principibus foedera. *Nec obstat, hunc eundem Gregorium in secunda ad Leonem epistola (a) scripsisse, nullam esse Pontificibus in Reges, eorumque Palatia potestatem: Nam quemadmodum, inquit, Pontifex introspicendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspicendi, & electiones in Clero peragendi.* Additque Maimburgus: *His solis verbis debilitatem illius argumenti ostendi, quod ab exemplo Gregorij petitur.* Miram hujus præfidentiam juxta & simplicitatem! non observantis, quæ à nobis concedantur, quæque negentur; nos ipsi concedimus, nullam esse Pontifici Romano in Reges ordinariam & directam potestatem, nec ex istorum arbitrio deferri Regna, sed vel successione, vel electione, vel jure belli, aliòve legitimo titulo; & quamvis in raro aliquo casu, & indirectè, rebûsque in arcto stantibus etiam hoc Pontifici competat, hæc tamen rara & indirecta, merèque contingens potestas non denominat subiectum, nec ab ea dicimus aliquid posse; sic dicimus, non posse Ecclesiasticos nubere, non posse Principes alieno Juri derogare, non posse carnes Sabbatho comedi, non posse Gallos in Romanos Imperatores eligi, & mille alia, quæ absolutam, certisque circumstantijs adstrictam potestatem non excludunt; & hanc ipsam Pontifici permissam ex Gregorij literis deducas; nam in prima ad Leonem Imper. hæc habet: *Sicere autem debes, ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Roma extiterint, concilianda pacis causâ sedere, tanquam parietem intergerinum septimque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse.* Et epistolâ secundâ circa f. *Et nos culpam peccati recipimus,*

(a) Epist. II. Greg. II. ad Leon. Isaur. anno 726.

ut qui potestatem à Deo receperimus, terrena, cœlestiaque solvendi atq; ligandi. Ubi vides, Potestatem Pontificiam non ad cœlestia solum & spiritalia, sed etiam terrena & temporalia proferri, quando videlicet necessitas postulat. Sed præfertim ex illis verbis argumentari licet, quibus ut Imperatori in Ecclesiis & Clericorum electiones; ita Pontifici in Palatia, Regesque nullum esse Jus dicit. At verò si Clerus Episcopum aliquem hæresi imbutum, aut perduellem eligat, quique Ecclesiam vastet, quis dubitat, si alia remedia absint, nec periculum moras patiatur, posse Imperatorem, tanquam Ecclesiæ Advocatum, prohibere, ne is eligatur, aut electum Regno, & Ecclesiâ arcere? nec pauca sunt hujusrei exempla. Si ergo id natura ipsa, ac necessitas Ecclesiæ defendendæ Principibus concessit, quanto magis Pontifici in Principes & Regna? cùm nihil magis Ecclesiæ noceat, exponatque ruinæ, ut hæresis coronata; si enim tot illa clades & ærumnas excitavit inermis & abiecta, quid faciet armata, regnansque? & experientia plus satis docuit, ex principum Religione etiam subditorum Religionem, fidemque pendere. Cæterum cùm extincto Martello, & Pipino necdum noto, aut rerum potito, auxilium à Francis cessaret, & Græci Exarchum adhuc in Italia, & Siciliam, Calabriamque obtinerent, Longobardi verò hæresi & armis grassarentur, ac Romæ imminerent, non destiterunt Romani Pontifices, Gregorius vid. II. Gregorius III. Paulus, Stephanus, Zacharias, Hadrianus, alijque apud Græcos Imperatores literis ac legatis agere, ut in sinum Catholicæ Ecclesiæ redirent, & Romam, Italiâque à Longobardis tuerentur; cùm tandem rebus omnibus desperatis Pipinus & Carolus subvenire, Imperio Græcis adempto.

III. Anno DCCLII. Contigit auctoritate Pontificis Romani celebris illa Regni Francici de Merovingica in Carolinam stirpem translatio, quæ sola sufficeret, si omnia alia deessent, ad demonstrandum, quæ tunc temporis fuerit Gallicanæ Ecclesiæ sententia, tunc inquam temporis, cùm doctrinâ ac pietate florebat, omni procul adulatione, & Romana Ecclesia adeò à Longobardis oppressa, ut nihil ab ea sperari, nihil metui posset; nec ferè in historia Gallica aliud reperies pluribus ac majoribus testibus proditum, ut tantò magis eorum præfidentiam admireris, qui audent

tam aperta negare, & oculos Soli claudunt, ne cogantur videre: duplicis culpæ rei, & negatæ veritatis, & amissi pudoris; quid enim credas tam certa abnuentibus? Fluxerant à baptismo Clodovæi anni quinquaginta duo supra ducentos, & Franciam duodeviginti Principes gubernaverant, sed civilibus bellis, fratrumque discordiâ, ac Regum ignaviâ res Francicæ jam ferè conciderant. Reges ruri potius, quàm in aula degere, otio & delitijs vitam ducere, præparcis tamen, & privatæ potius, quàm Regiæ fortis; rarè in publico, nisi cùm Legatos audirent, redderentque responsa, nec ea pro arbitrio, sed suggesta, aut etiam iussa, inani Majestatis simulachro, nisi quòd Solio insisterent. Cùm prodirent, plaustrum pro curru, boves pro equis erant; producta, fluentisque barba, & coma in humeros fusa; hæc pompa, hoc fastigium Francicæ majestatis, quod pluribus Eginhardus testatur. Jus interim belli pacisque, ac Regni moderandi penès Palatij Magistros; & dum isti aut retinendæ potentæ, aut vincendis æmulis, aut Regibus pro arbitrio deligendis, abdicandisque certant, Regnum intereà civili bello consumi, Franciæ Provincias, ut quisque occupaverat, in diversos scindi Principatus: Saracenos, Gothosque aut sponte, aut in subsidium vocatos Galliæ infundij, & quamvis deleti essent Martelli virtute, parique fortunâ, nulla spes tamen componendi Regni, Regibus lasciviâ ac otio torpentibus, Præfectis verò Palatij civili bello collisis, quòd Regij sanguinis non essent, invalidâ apud populos reverentiâ. Nec melior Ecclesiæ, quàm Regni facies. Ararijs bello exhaustis, Ecclesiarum decimas & facultates occupaverant. Ex his stipendia militi, Ducibus præmia; & quòd bellum contra Paganos, Gothosque actum, pietas obtendebatur; promisitque Martellus, omnia Ecclesijs redditurum confecto bello; sed ut fieri solet, inane id solatium, & irritum fuit, hostes cæsi, fugatique, bellum peractum, Martellus victorijs ac triumphis plenus, sed nudæ, spoliatæque ut prius Ecclesiæ; eoque audaciæ & avaritiæ deventum, ut Episcopatus & Sacerdotia à Laicis obtinerentur, pretiisque Infulæ vanirent, fœdo quidem, sed publico mercatu. Quæ postea Zachariæ causâ fuit, ut Pipino privilegium concederet nominandi Episcopos ad omnes Regni Ecclesias, quod  
gravis

gravissimi Auctores (a) tradunt. Sicin Galliares habebant, nec melior aliarum Orbis Ecclesiarum conditio. Italiam Longobardi, Africæ bello, hæresi, prædatione vastabant: Græciam Bulgari, Avares, Saraceni, civileque discordiæ, sed omnium pessimè Iconoclastarum sævities: Hispaniam, Africamque Alani, Wandali, Sueci, Gothique, & Turcæ quoque gliscabant. Crederes, communi bello Ecclesiam peti, ipsamque periclitari arcem Religionis, Longobardis Romam accinctis. Et ecce! cum minimè crederes, à Pipino Legati & auxilium. Poscebat Pipinus Regnum à Zacharia Pontifice, & Childericum Regem deponi, poteratque audax votum videri, nisi necessitas & periclitans Religio excusaret: *Childericum Regem ignaviâ ac delitijs marcere, non ingenium illi regendo Imperio, non sobolem firmando esse, nec maius ab eo auxilium Francs, quam à simulachro gemmis, aurisque iniecto. Cessare populis reverentiam tam abiecta, derisâq, Majestatis: Regnum interea domi forsique laborare, quippe nullis legibus plebem, primoresque franari Regis contemptu: instare Barbaros totâ Asiâ, Africâ, Hispaniâque victores: jam quartâ vice Pyreneis superatis Franciam irruisse: ter à Mariello Patre, nuper à se victos, delictosque: redituros tamen, quippe exploratis jam montibus, & nivibus assuetos, & tot cladibus asperatos potius, quam fusos; si vincant, nam lubricam fortunam esse, nec uni addictam, quis Italiam, quis Romam, ipsamque Religionem tueri possit? Solam Galliam Barbaris obstare, nec Pipino apud Gallos, dum Corona absit, satis reverentie ac fidei esse, plerisque Imperium aspernantibus, Corona vacuum. Childerico sobolis experte defunctoq, civile bellum inter amulos arsurum, irrupturos Barbaros, Patria ac Religionis excidio. An ergo non expediat, prævenire potius, quam operiri extrema, & Regem deligere, tot infortunijs ac necessitatibus parem? Id futurum, si Pontifex Romanus jubeat, nec aliud Gallos expectare, tanto operi promptos, accinctosque.* Permovit Zachariam oratio, & instans Religionis, Regniq, periculum. Ergo Childericum Imperio moveri, tonderique; Pipinum omnium votis eligi jubet, Francos verò juramento absolvit, quod Childerico dixerant. Quod

U u 3 rogo

(a) V. Lup. Ferrar. epist. 81. 98. & 99. S. Bonif. ep. ad Zach. PP. Floard. in hist. Rhem. de Privil. Hadr. I. De Privil. à Zach. concessio. Joan. X. PP. ep. ad Herim. Colon. Florum Magistrum in fragm. de elect. ad calcem op. S. Agob. Paschal. II. PP. apud Malesbur l. 5. della Marca lib 8. c. 20. Maimb. des Iconocl. l. 2. f. 259. Reg. Sac. f. 57.

rogo majus exemplum velis Pontificiæ in Reges potestatis, quam coronas uni stirpi & familiæ insertas, in alias transferre? tantumque abfuit, Gallos obniti, ac Zachariæ adversari, velut inconcella tenenti, ut potius id ipsum expeterent, acceptarentque concordibus votis, pari in Pipinum amore, & Pontificem reverentiâ; patet ergo, quænam fuerit eotemporis sententia Ecclesiæ Gallicane; & ne ulla dubitandi ratio superfit, dabimus auctorum omni exceptione majorum verba, & ea tam clara, ut negari à nemine possint, nisi qui fidem abrogari sibi velit, & inter eos censeri, quos victos licet, edoctosque pudet veritatem fateri, quam agnoscunt, maluntque obstinati potius videri, quam victi.

Eginhardus perpetuus Carolo comes, eique à Secretis, quæque non audita solum & præterita, sed visa & præsentia scribebat: (a) Gens, inquit: Merovingorum usq; in Hildericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus, ac deorsus durasse patatur. Et infra: (b) Pipinus autem per jussionem Romani Pontificis ex præfecto Palatii Rex constitutus est. Et in annalibus: (c) Burkardus Wirzburgensis Episcopus, & Jolualdus Presbyter Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Papam, de causa Regum, per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem Summa potestatis consisteret, datæque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem constitui. Et alibi ad annum 750. Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est. Nota, hanc translationem ab Eginhardo jam Zachariæ, jam Stephano tribui, quia illam uterque promovit, Zachariæ initium, Stephani exitus & perfectio fuit; eodem enim anno, quo Zacharias Pipinum Regem jussit, & Francos Sacramento exsolvit, ipse vitam finivit. Stephanus verò Jus Regium Pipino & Filijs confirmavit, ut postea videbimus, unxitque & Coronam imposuit.

Annales Francici à Pithæo editi: Septingentesimo, quinquagesimo secundo anno Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiæ utebatur, nominis quoque Dignitate frueretur.

Frede-

(a) Eginh. in vita Caroli M. ab initio. (b) Et in annal. ad ann. 749. & ad ann. 750. Obijt Eginhardus, anno 843. juxta Chronol. Bolandi T. 2. Jan. f. 875.

Fredegarius: (a) Quo tempore unâ cum consilio, & consensu omnium Francorum misâ relatione à Sede Apostolica, auctoritate perceptâ præcelsus Pipinus electione totius Francia in Sedem Regni sublimatur.

Rhegino: (b) Jussu Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo.

Otto Frisingensis, Imperatorum nepos: (c) Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & alijs Regni Principibus in Regem eligitur. Et alibi: Anno Domini 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absolvitur.

Abbas Urspergensis: (d) Sic ergo Pipinus ex Praefecto Palatii auctoritate Apostolicâ sublimatus, & unctus in Sedem Regni, regnavit annis quindecim, absolutus per eundem Stephanum Papam à Juramento, quod Regi Childerico cum ceteris Regni primoribus fecit. Et alibi: Zacharias verò Papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summas potestas consisteret, datâque auctoritate suâ Pipinum Regem jussit constitui.

Sigebertus: (e) Pipinus verò Princeps Apostolicâ auctoritate, & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiae Archiepiscopo in Regem ungitur & consecratur.

Ludovicus II. (f) Caroli M. Pronepos, qui res in familia sua gestas recentésque ignorare non poterat, in Epistola ad Basilium Orientis Imperatorem: Matrem omnium Ecclesiarum DEI (Romanam videlicet Ecclesiam) defendendam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postea Imperandi auctoritatem Prosapia nostra seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt iduntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto persusi sunt, &c. Ubivides, Ludovicum Imperatorem agnoscere, auctoritatem regnandi Carolinæ Prosapia à Romana Ecclesia provenisse.

Schafnaburgensis: (g) Pipinus decreto Zachariae Papa per unctionem S. Bonifacii Rex appellatus est.

Hermannus Contractus: (h) Pipinus auctoritate Stephani Papae deponso ac deposito Hilderico Rex Francorum factus est.

Albertus

(a) Fredeg. ad ann. 751. f. 161. floruit seculo 8. (b) Rhegino in Chron. obiit circa initium sec. 10. (c) Otto Frising. lib. 5. c. 22. & 23. obiit anno 1158. (d) Abbas Ursperg. ad ann. 743. circa fin. floruit seculo undec. (e) Sigeb. ad ann. 750. floruit seculo undec. (f) Ludov. Imper. epist. apol. ad Basil. ann. 871. habetur apud Baron. & du Chesne Tomo 3. (g) Lamb. Schafnaburg. in hist. Germ. (h) Herm. Contr. ad ann. 752. in Chron.



Albertus Crantzius: (a) Merito Summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se tollunt favoribus, quando ab initio haec Sedes Domui Caroli hoc praestitit, ut Regiam haberet Dignitatem.

Carolus Sigonius: (b) Pipinus Zachariam consulit, uter ei Regio fastigio dignior videretur? is qui otio languens nihil ad communem utilitatem afferat, an qui dies noctesque de Regni utilitate cogitaret? Cui Zacharias respondit, omnino se Regem illum cogitare, qui Regni commodis & utilitati serviret: rogatusque ab illo, Decretum pro magnitudine potestatis iniecit, quo Regnum Childerico abrogavit, & Francis Sacramenti Religione solutus, ut Pipinum Regem substituerent, Auctor fuit. Quo decreto accepto Franci convenerunt, ac Childerico abdicato Pipinum Regem designarunt, eumque Sueffione per Bonifacium Archiepiscopum consecrarunt.

Paulus Aemilius rerum Francicarum scriptor accuratissimus: Pipinus Burchardum Wirzburgensem Episcopum ad Zachariam Pontificem Max. Oratorem mittit, ut Franci solverentur Jurisjurandi religione, qua se Childerico devinxerant. Oratione Episcopi motus Zacharias initio minime audebat tam magni momenti cogitationem suscipere, sed tandem Francos Sacramento Regi Childerico dicto solvit.

Præter jam citatos Auctores videndi sunt (c) Aimoinus, Marianus, (d) Scorus, (e) Gaguinus, Sabellicus, (f) Spondanus, alijque, qui iisdem ferè verbis hanc translationem recensent; ubi simul adverte, esse omni exceptione majores, quippe integerrimâ fide, quisque aut res suorum ferè temporum, recentioresque narrabant, aut Principum partibus addicti potius, quam Pontificum, imò istis infensi, quales Frisingensis, Urspergensis & Sigebertus; & denique eodem modo deponunt, videlicet Childerici ignaviam, Pipini ad Zachariam Legationem, consilium à Pontifice petitum, acceptumque, utor videlicet dignior Imperio esset, Childericus ignaviâ torpens, an Pipinus bello & victorijs promptus? decretum & mandatum Zachariæ Pipinum eligi jubentis; juramenti, quo Franci tenebantur, absolutionem, & denique omnium votis electum Pipinum. Jam verò post tam multa

(a) Crantzius lib. 1. metropol. c. 14. (b) Carol. Sigon. de Regno Ital. ad ann. 750. obiit anno 1585. (c) Aimoin. de gest. Franc. l. 4. c. 6. (d) Scorus l. 3. Chron. (e) Robert. Gagui. l. 3. Chron. f. 45. (f) Spond. ad ann. 751. Sabellicus enacad. 8. l. 8. Platina in Zach. Greg. VII. in c. alius 15. q. 6.

multa, & tam clara testimonia quid aliud à Maimburgo expectares, quàm aut veritati cessurum, quippe tot testibus & probationibus nixæ, aut saltem alios producturum, pari numero, parique auctoritate; id enim causæ gravitas, ac toties ostentatus amor veritatis, & vitæ Institutum duplici titulo Sacrum, Religiosi videl: & Sacerdotis exposcebant, præsertim cum toto eo libro, quem ultimò edidit, nullum finem protestandi faciat: *Se non disputationibus, non subtilitate usurum, sed historiam & factis evidentibus, quæq; nullam tergiversationem admittant.* Audi jam verò, quid exhibeat post tot magnificè promissa: (a) *Qua, inquit, de Zacharia dicuntur, nullius momenti sunt, supponuntque Franciæ historiæ extremam ignorantiam; Franciæ enim Optimates sunt, qui Coronam Pipino detulere, non vero Pontifex Romanus; hic enim rogantibus & consilium expetentibus, an id liceret? respondit licere; consuluit ergo, non imperavit. Et verò æquum id consilium fuerit, an secus, non est huius loci disputare; enimverò verba, quibus antiqui Scriptores hanc Translationem describunt, clarissima sunt, ut ostendant, nihil aliud quàm consilium à Francis petitum esse, ut videlicet electionem, quam animo agitabant, Summi Pontificis auctoritate munirent; nam Chronicon vetus à Pirhæo editum: Missi sunt, inquit, ad Zachariam Papam, ut consulere. Et Annales Francorum Metenses: Missi fuerunt ad Zachariam interrogandum, si bene fuisset, amon? ergo nihil aliud à Pontifice & petitum, & datum, quàm solum merumque consilium, & hoc ipsum improbat Stephanus Zacharia Successor, qui teste Theophane ejus temporis Scriptore à Pipino ob violatam Childerico fidem pœnas expetiit: aut ergo Stephanus, aut Zacharias erravit; imò cum Franci Hugonem Capetum folio imposuere, Carolo debitum, ne consilium quidem à Joanne XV. expectatum est, multò minus Imperium. Hæc Maimburgus. Ignorantiam primò historiæ Franciæ opponit nobis, sed ego Lectoris arbitrium posco; nam piget cum Maimburgo loqui, tam vana jaçtante, an nos historiæ Francicæ ignoremus, qui præcipuos historiæ Francicæ scriptores non legimus tantum, sed verbatim allegamus, Eginhardum videlicet, Fredegarium, Reginonem, Pirhæum, Amilium, aliòsque. Quòd si ignorantia hæc est, non nostra, sed omnium illorum fuit. Quis verò est Maimburgus, ut istos ignorantia accuset? aut quæ ipsius merita, fidèsq; toties scædata, ut eum Eginhardo, Ottoni, Urspergensis, Aimoino æques, præferatque?*

X x x

(a) Maimb. Tr. de l' Egl. de Rome c. 29. f. 404.

que? Quòd si istos ipse non legit, quæ rogo hæc negligentia, & ignorantia fuit, nescire tam obvia, tamque necessaria historiam profertenti? Scribit, quæ non legit, jactat, quæ ignorat, profertur, quæ nescit, & tamen objectat alijs ignorantiam; hoc novum modestiæ genus. Si verò hos ipsos Auctores legit, quos modò produximus, cur rogo silentio præterit? & illum ipsum Pithœum, quem citat, cur una tantum ex parte recitat, præmitque aliam, quæ totam rem explicat? consilium enim à Francorum Legatis petitum esse, & à Pontifice datum, nemo inficias iverit, sed Imperium consilio accessisse & nos asserimus, & historici tradunt, & ipse inter alios Pithœus his verbis exponit, quæ Maimburgus omisit, vid: *Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Et Eginhardus studiosè inter consilium & præceptum distinguens, utrumque Pontifici attribuit: (a) Burchardus, inquit, Episcopus & Folradus Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent de causa Regum, qui illotempore nomen tantum Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt; per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret. Hactenus consilium. Audi nunc mandatum: Dataque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem constituat. Et ad annum 750. Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est. Dicine potuit aliquid clarius? Et idem in vita Caroli: Childericus Rex jussu Stephani Pontificis depositus ac detonsus, & in Monasterium detrusus est. Et Regino: Jussit Papa per auctoritatem Apostolicam, Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo. Et Otto Frisingensis: Pipinus à Stephano Papa fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, absolutus est. Et Urspergensis: Pipinus ex Prefectis Palatii auctoritate Apostolicâ sublimatus postea regnavit annis quindecim, absolutus per Stephanum Papam juramento, &c. Et Aimoinus: Missi sunt Romam ad consulendum Pontificem, dataque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem institui: hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est. Hæc omnia an solum consilium denotent, clarius est, quàm ut explicari à me debeat; sanè, solvere aliquem Juramento, jubere, sancire, non sunt consilia, sed præcepta, nec aliâ ratione Maimburgus ea tacuit, quàm quia convinci se illis videbat. Quanto id verò historiæ, suæque dedecore, ac fidei, quæ in scriptore pri-*

(a) Eginh. in annal. ad ann. 749.

ma esse debet, detrimento, nihil attinet dicere; quis enim jam credat Maimburgo, tam comperta neganti, tamque indignis artificijs fucanti veritatem? Tinctorum cum magis, quam historicum credas. At, inquit, *Theophanes scribit, Pipinum Stephano penas dedisse violatè Childerico fidei.* Sed quàm ista veritati consentiant, sufficit repetere, quæ modò ex Eginhardo, Urspergeni & Frisingensi retulimus, qui omnes Pipinum juramento fuisse solutum à Stephano tradunt; non potuit ergo Stephanus punire, quod ipse fecerat, aut si Pipinus injustè alienum Regnum invaserat, parùm fuit punire, nisi restitueret: & tamen tantum abfuit, Stephanum restitui jussisse, ut potius Regnum Pipino confirmaret, quod citati Auctores tradunt; & mirum est, Theophanem, qui aut Constantinopoli, aut in exilio agebat, tanto Romæ & Parisijs intervallo, Eginhardo præferri, qui in Aula, ubi hæc contingebant, versabatur, Carolo Pipini filio à secretis, & omnium conscio, quæ illic fiebant: id perinde fuerit, ac si de ijs, quæ Romæ contingunt, malis nautæ Bizantino, quàm Romano Senatori fidem habere. Imò idem Theophanes (a) pro nobis contra Maimburgum testatur, sic enim scribit: *Prædictus namque Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus est ab eodem Pipino ire in Franciam, & facere quacunque posset; qui veniens Pipinum provehit in Regem, virum probatissimum, &c.* Cur ergo non etiam Pontificem Franci rogârunt, cum Hugonem Capetum Regno admovent? Vanum est hoc argumentum, non enim sequitur, quod semel omissum est, non esse alio tempore factum, id enim perinde est, ac si dicas: *Semel sivit David, nec tamen bibit; ergo quoties sivit, non bibit.* Ergo non sequitur, si Hugo Capetus Coronam à Pontifice non accepit, non etiam Pipinum accepisse, nec enim semper à Pontificis manu Coronæ proveniunt, sed cum necessitas postulat, & ut loquitur Rhegino, *cum ordo Christianitatis periclitatur.*

IV. Anno DCCLIV. Aliud specimen, nec minùs egregium Pontificiæ auctoritatis in Gallijs editum. Aistulphus Longobardorum Rex ferro ignique Italiam vastabat, & Romæ imminabat, prædæ avidus, jamque Urbem obsederat. Auxilia à Græco petita, Longobardus donis, ut abscederet, tentatus, sed omnia frustra; preces ergo ad Pipinum versæ, qui Pontificis necessitate compertâ, Rhodigangum Episcopum mittit, Ducemque Ancharium,

(a) Theoph. lib. 22.

rium, ut illum in Franciam deducant : jam Barbari Urbem premebant, cepissentque, sed Legatis in castris comparentibus obfidio omiſſa, metu & reverentiâ Franci; Stephanus Partifio à Legatis deductus, illic omni apparatu, cultuque exceptus, & mixtâ amori reverentiâ; ipse Pipinus cum Regia Coniuge, liberisque obviam processit, & equum comitatus est obsequij causâ. In eo conventu decreta in Aistulphum expeditio, & Regia Dignitas, quæ nuper per Legatos, nunc coram, & ab ipso Pontifice, majorique apparatu, Pipino collata, cui etiam Sacra Unctio, & solennis Coronatio addita. Quæ ratio est, ut multi scriptorum nunc à Zacharia Pipinum, nunc à Stephano provectum dicant; sed veritas est, ab utroque factum : sed illud in hac secunda multò amplius, quòd non contentus Pipinum Regem dicere, iussit insuper, adegitque Francos juramento, ne Regem ex alia stirpe, quàm Pipini deligeret. Nec putandum est, prætergresso juramentum, cum Hugonem Capetum Throno intulere, omisso Carolo Primo Lotharingæ Duce, & proximo Regij Sanguinis Principe; quamvis enim, ut dixi, is proximè Ludovicum Quintum ultimum Galliæ Regem, & sine liberis functum attingeret, quippe hujus Patruus, & Lotharij Regis frater; Capetus tamen & ipsa Pipini progenies erat, ex Childeprando vid: Pipini Crassi filio, & Martelli fratre, quod etiam passim Galli testantur, ut apud (a) Spondanum & Morerum videre est. Sed ut fides narrationis constet, verba scriptorum numerabimus.

Theophanes: (b) *Prædictus Papa Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus à Pipino ire in Franciam, veniens Pipinum provehit in Regem, Virum probatissimum.*

Ludovicus (c) Caroli M. filius: *Gesta autem sunt hæc à B. Stephano Papa adjuvantibus SS. Apostolis Petro & Paulo anno ab Incarnatione DCCLV. quo inter oblationem & celebrationem Sanctissimi Sacrificij unxit in Reges Francorum florentissimum Pipinum Regem, & duos ejus filios, atq; Francorum Procere auctoritate B. Petri obligavit & obestatus est, ut nunquam de altera stirpe Regem supra se præsumam aliquo modo constituere, quos & divina providentia ad Sanctissimam & Apostolicam Sedem tuendam eligere dignata est.*

Gagu-

(a) V. Spond ad ann. 987. & Morer. in Childepr. (b) Theoph. lib. 22. (c) Lud. in ep. ad Hilduin. quæ habetur in Arcopag.

Gaguinus : (a) Stephanus autem ut Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati ejus, atq; qui temeritate aliqua adversus Francos bella moverent, Communionem Christianam interdixit.

Abbas Ursperg : (b) Francorum Populos unam cum Proceribus auctoritate B. Petri Apostoli obligavit, & protestatus est eos, ut nunquam de alia stirpe sibi Regem proponerent, quos divina Providentia in defensionem Ecclesie dignata est sublimare.

Paulus Æmilius : (c) Hanc celebritate Pipinum coronavit, sacraque unctione imbuit, omniaque fausta in omne tempus apprecatus est. simul divis, detestationis, insectatus, si quis contra moliri auderet, ita prius acceptum Jus regnandi, tunc quasi divinitus confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur.

Nauclerus : Stephanus Papa, ut Ecclesie defendendae spem accepit, Pipinum sacra unctione in Regis dignitatis honore confirmavit. Pipino benedixit, & posteritati ejus, atque qui temeritate aliqua adversus Francos bella moveret, Communionem Christianam interdixit.

Carolus Sigonius : (d) Solemni pompa Cavolum, & Carolomanum Reges inuixit, solemnem carmine adstantes Francorum Proceres sacra detestationis obstringens, ne quando alios, quam ex illorum progenie regnare juberent, quos constaret, Divinam Providentiam ad Catholicam Ecclesiam tutelam adscitos, Universam interim Francorum Nobilitate plaudente.

Habemus hic iterum, quid senserit Gallia de pontificis potestate, tantum enim abest, obstiterit Pontifici, ista decernenti, ut potius & audierit, & oraverit, & Regnatrices Capetam ac Borboniam familias Pontifici Romano debeant.

V. Anno DCCLXXIII. Desiderius Longobardorum Rex Ecclesie Ditiones populatur, exarchiam Ravennatem occupat, & Romam cum exercitu movet : causa belli, præter regnandi cupiditatem, quod Hadrianus Pontifex nolle Carolomanni liberos, nepotesque Desiderij ex filia Carolomanno nupta, Reges, habilesque paterno Regno, quod totum Carolo Magno cesserat, appellare. Audi Æmilius : Longobardus contendebat, ut Hadrianus Pontifex Carolomanni liberos, eosdem Pipini nepotes Reges appellaret, inungeretque, quod ejus iudicium sanctum apud Francos fore non dubitaret, Regnumque paternum ad adolescentulos rediturum. Vides hic iterum, quænam tunc temporis Francorum mens & sententia fuerit, quamque etiam apud Barbaros vulgata.

Xxx 3

VI. Anno

(a) Gaguin. hist. Franco. lib. 3. f. 45. (b) Abb. Ursperg. ad ann. 753. (c) Æmil. in vita Pipini præp. init. (d) Carolus Sigo. lib. 3. Italiae ad ann. 754.

VI. *Anno DCC LXXIX.* Carolus Magnus Ticino expugnato, Rege Desiderio capto, deletoque Regno Longobardorum, quod annis ducentis steterat, Patritij Romani dignitate ab Hadriano Pontifice augetur; hâc Imperio aptabatur. Constantinus Augustus præcipuè Patritij dignitatem extulerat, primâ post Cæsares, majorique Præfecturâ Prætorij. Patres Imperatorum dicebantur; si bellum inferendum, si pax facienda, aut alia Imperij cura, primum cum Patritijs consilium: paludamentum humeris injectum, annulus dextro indici insertus, caput aureo circulo revinctum, picti calcei, sublimisque Sella insignia Patritij erant. Ejusque officium & curæ, tueri populum, hostes repellere, urbemque gubernare; tantique fuit, Patritium esse, ut non à Romanis solum ea Dignitas, sed ab exteris etiam Principibus peteretur, eamque Theodorico Gothorum Regi datam à Zenone legimus. Vide (a) Cantelium, & Cassiodorum (b) de Patritij dignitate, Adelmum (c) verò, Sigebertum (d) & ex hoc (e) Gratianum, qui hujus in Carolum collatæ meminerunt.

VII. *Anno DCCC.* Contigit celebris illa Occidentalis Imperij in Francos translatio, auctoritate Leonis III. Pontificis Max. facta. Ejus translationis seriem & narrationem in Regali Sacerdotio descriptam habes, nec mihi animus est repetere illic dicta. Solum observa, eum tunc temporis Romanæ Ecclesiæ statum fuisse, ut meritò Romanus Pontifex huic Translationi animum adiecerit. Italia quadringentos ferè annos sub Gothorum & Longobardorum dominatu gemuerat, nunc à Græcis, nunc à Gothis, nunc à Longobardis; jam civili, jam externo Marte sædata, & quod acerbius erat, cum Ariana, cum Iconoclastica hæresi toties collisa, & tantum non victa. Quoties ad Romæ portas nunc Luitprandi, nunc Aistulphi, nunc Desiderij classicum sonuit? quoties accensæ à Barbaro faces Urbi delendæ? quoties necando Pontifici nunc insidiæ, nunc venenum, nunc Sicarius à Græco immissus? Et quamvis & Pipini, & Caroli M. armis respirasse Italia ac Roma viderentur, Longobardis planè deletis: ut primum tamen in Franciam redibant, nova iterum bella, nova pericula

(a) Cantel. p. 1. diss. 2. c. 4. (b) Cassiod. l. 8. ep. 9. & seqq. (c) Adelm. ad ann. 801. (d) Sigeb. in Chron. ad ann. 774. (e) Grat. in c. Hadrianus & seqq. d. 63.

ricula nasci, crederes pacem ferre non posse, tot jam seculis bello assuetos. Eò factiones, turbæque civiles, cum Carolus exercitus abduxisset, Romæ procefferant, ut Leonem Pontificem Sacras Litanias obeuntem æmuli aggredierentur, cæderentque, ac oculos eruerent: elapsus ad Carolum, cum exercitu Romam reduxit: supplicia de reis sumpta. Sedebant Constantinopoli Imperatores Græci, aut proferendæ hæresi, aut domesticis & intestinis bellis intenti, nullâ Italiae, nec imperij curâ. Constantinus cum Matre de Imperio contendebat, & hæc prævaluit, ac filio oculos primum, tum vitam ademit: Sol septendium latuit tanti sceleris odio, ac navibus toto mari, ac sine luce errantibus, aut anchorâ fixis, dum lux rediret. Saraceni, Bulgari, Avarésque, Græciam vastabant: quod istis intactum reliquumque, civile bellum absumpserat. Ergo ut inclinanti, imò labenti Imperio Leo subveniret, desperatâ à Græcis ope, Carolum deligit, & in Francos communi etiam Senatûs Populique Romani assensu, coronam deposuit, quam nemo magis ut ille tueri poterat, nemo melius Religioni aptare. Vide, quæ in Regali Sacerdotio (a) narrata sunt.

Factam esse hanc Imperij Occidentalis translationem auctoritate Romani Pontificis jam dudum Bellarminus ostendit duodecim Imperatorum, aliorumque Principum, quinque & triginta historicorum, septemque Pontificum testimonijs: ego, ne jam notis insistam, unum alterumque libabo.

Omnes historici, Græci, Latinique, quotquot de hac Imperij translatione loquuntur, eam Leoni Pontifici tribuunt, exprimentque his verbis: *Carolus à Leone Papa coronatus est, ac Imperator appellatus est: Leo Francos Romam admisit: Carolus à Summo Pontifice ablato Patrij nomine, coronatus: Leo Papa Carolum fecit Imperatorem: Leo de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum & Germanos Imperium transtulit: Leo Carolum ad imperium unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit: Leo illustra Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat.* Sic omnes scribunt, nec aliâ dicendi formulâ utuntur, cum hujus rei mentionem faciunt, ut bene Spondanus (b) & ipse Gallus pronuntiet: *Non tantum Eginhardus & Anastasius de collata per Leonem Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes, sed fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci*

(a) Reg. Sacerd. f. 136. (b) Spond. ad ann. 800.



*Et Græci auctores.* Quòd verò Carolus aut jure belli, aut Senatùs Populique Romani donatione Imperium acceperit, nullus omnino meminuit, sed populo solas acclamationes tribuunt, quæ utique Imperatorem haud faciunt. Jam verò in rebus ad historiam pertinentibus, quæque nisi ex scriptorum fide sciri non possunt, cur non potius id dicas, credasque, quod omnes dicunt, quàm quod omnes tacent? & quæ ratio velit, ut, quod omnes asserunt, tu neges, & quod omnes tacent, tu asseras? & verò si non Leo Imperium in Carolum transtulit, sed Senatus aut Populus, cur ex tot auctoribus Græcis, Latinisque, nemo Senatùs, nemo Populi meminit, omnes Leonis? aut cum aliquam Populi, Senatùsve mentionem faciunt, cur istis solas acclamationes tribuunt, de Leone verò, transtulisse Imperium, fecisse & appellasse Imperatorem dicunt? cum potius contrarium dici oporteret; si enim Carolus à Senatu, Populoque Imperium habuit, ergo principales, præcipuæque partes Senatùs & populi erant, & huic translatio & appellatio, non Leoni, ministro tantum, non auctori, adscribenda erat: quemadmodum licet S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Pipinum, Filiòque Reges Francorum unxerit, nemo tamen scriptorum dixit, Bonifacium transtulisse in Carolinos Regnum, Reges constituisse, sed Zachariam, cujus jussu & auctoritate Bonifacius agebatur, nec auctor, sed minister erat. Patet ergo ex omnium Latinorum, Græcorumque testimonijs, ac uniformi loquendi modo, non solum titulum & Coronationem, sed ipsam Dignitatem ac potestatem Imperatoriam à Romano Pontifice in Carolum translatam esse.

Ludovicus Imperator conquerenti Basilio Imperatori, quòd titulum ac dignitatem Imperatoris usurparet, soli Græco debitam, hæc per Legatos & epistolas respondit, anno 871. datas; hoc est septuagesimo post translationem anno, recenti adhuc facti rerumque memoriâ: (a) *Mirari*, inquit, *se Fraternalitas Tua dilecta significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur; sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & Urbem divinitus*

(a) Epist. Ludov. II. Imp. ad Basilium æquè Orient. Imp. anno 871. apud Baron. ad eund. ann. n. 51. & Andr. du Chesne Tom. 3.

vinitus gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum DEI gubernandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postea imperandi auctoritatem profapia nostra Seminarium sumpsit, nam Francorum Principes primò Reges, deinde Imperatores dicti sunt ij duntaxat, qui à Romano Pontifice oleo sancto perfusi sunt. Praeserim cum tales saepe ad Imperium sint adsciti, qui nullà divinà operatione per Pontificum ministerium propositi solum à Senatu & Populo, Imperatorià dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantum à militibus sunt acclamati, & ipsi Patru nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatores nos vocitant, attendentes ad unctionem & sacrationem, quã per Summi Pontificis manus sumus ad hoc cultmen procecti. Et ibidem: Illud autem mirarimeritò possumus, quòd sublimitas tua ad novam & recentiore appellacionem adspirare nos autumat, cum non sit novum, vel recens, quòd jam ab Avo nostro, non usurpante, ut perhibes, sed DEI nutu & Ecclesie iudicio, Summiq; Pontificis per impositionem & unctionem manus obtinuit. Vides in his litteris Ludovicum Imperatorem non belli, non Senatùs Populique Romani, quasi ab his Imperium accepisset, sed solius Pontificis meminisse: nec dicit, Carolum Magnum populi, aut Senatùs iudicio, sed DEI nutu & Ecclesie, Summiq; Pontificis iudicio Imperio potitum esse. Cur ergo semper Populum & Senatum excludit, si ab istis Imperium sumpsit? annon poterat eadem operã jus belli, ac popularis electionis prætexere, si Imperium istis debebat? aut forsã quæ in Ludovici familia, & adhuc recentia contingebant, melius Maimburgo post tot secula scribenti, quàm ipsi Ludovico constabant? & quis credat homini privato, abditòque, & curis huius mundi soluto, qualem se Maimburgus profiteretur, magis Imperij iura, titulòsque, quàm Imperatori explorata esse? imò quod bene observandum, idem Ludovicus titulos obtinendi Imperij diligenter distinguens, alios militum, Senatùs, populique consensu, se verò DEI nutu, & Ecclesie Summiq; Pontificis iudicio electum dicit, & Imperio potitum; non ergo Senatui, non populo Romano, non armis hoc debuit, sed post Deum Ecclesie & Pontificis dono.

Albertus Imperator (a) in litteris ad Bonifacium VIII. *Prosteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori ac Vobis fore pro innumeris misericordijs ac immensis beneficijs obligatum, &c. Recognoscens igitur, quòd Rom. Imperium per Sedem Apostolicam de Grecis translatum est in personam Magnifici Caroli in Germanos. &c.* Yyy Prin-

(a) Albert. Imp. in lit. ad Bonif. VIII. anno 1303.

Principes Electores (a) in litteris ad Nicolaum III. PP. Nos Principes Imperij universis presentem paginam inspecturis, &c. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quãdam quasi germanã charitate Germaniam illam eo terrenã dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen, temporaliter presidentium super omnem terram, &c.

Clemens V. in Concilio Viennensi Oecumenico: Romani Principes Sacrosanctam Ecclesiam Romanam, ac Romanum Pontificem servare fidei venerantes eidem Romano Pontifici sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi & eidem Ecclesia Rom. qua à Græcis Imperium translata in Germanos, adstringere vinculo Juramenti &c. Nota, hoc etiam testimonium maximi ponderis esse, quippe à Pontifice Gallo, in ipsa Gallia, præfente, audiente & approbante totã Ecclesiã Gallicanã, ac tandem ipsis actis Concilij Oecumenici insertum, adeo ut non tam Clementis Pontificis, aut Concilij Decretum, quàm totius Ecclesiã Gallicanã haberi debeat. Et ipse Maimburgus rei veritate convictus, & hoc Concilij Viennensis, & illa, quæ supra citavimus, Electorum, & Imperatorum testimonia: (b) Tanquam verissima, indubitata, & adeo fide digna pronuntiat, ut ea nec negari, imò nec in dubium vocari posse dicat. Sed addit, intelligenda esse, non de vera, realique potestate, sed tantum de ritu & ceremonia ac coronatione externa; in electione enim, ipsoque electo Imperatore duo distingui: primum, quod sit caput supremũque Princeps & Monarcha Germanici Imperij, à quo Principes alij dependeant, & hoc primum quod spectat, nec Electores, nec Imperatores à Romano Pontifice quidquam accepisse; cum Jure naturali, divinõque, ut in alijs Regnis electivis, sic & in Germanico Imperio possint Opimates sibi Caput & Principem deligere. Secundum, quod in electo Imperatore spectari debeat, esse, quod electus solus, exclusisque alijs omnibus unice Jus habeat coronandi à Romano Pontifice postulandi: hanc verò Coronationem à Romano Pontifice fluxisse quidem, esse tamen ritum haud necessarium, & sine quo tota Majestas Imperatori constet. Hæc Maimburgus in libro de Imperij Declinatione; & in historia Iconoclastarum: (c) Carolus M. Imperium Occidentis, ipsãque Italiam bello occupasse ait; Romam verò populi Romani donatione: nec aliud à Leone Papa, quàm Coronam, hoc est,

(a) Lit. Princ. Elect. anno 1269, Indiã. 7. Rodolphi Imp. ann. 6. V. Baron. ad ann. 996. n. 44. & Bellarm. l. 3. c. 3. V. Serrar. lib. I. rerum Mogunt. & Græc. in defens. Bellarm. c. 28 (b) Maimb. de la decadence de l'empire lib. 2. ad ann. 996. (c) Id. in hist. Iconocl. lib. 4. an. 800.

non ipsum Imperium, sed insignia tantum, nudamque ceremoniam accepisse: imò nec istam, nisi Civium Romanorum precibus compulsam, eum sine fine Augustum conclamantium, tunc enim nec prius à Leone coronatum. Additque: se quidem de hac Imperij translatione nolle sententiam pronuntiare, eamque arbitrio lectoris committere: principia tantum statuisse, ex quibus rei veritas facildè deduci possit. (hæc principia sunt, quæ modo ex eodem scriptore commemoravi) Eum verò, qui alia, quàm ipse principia statuat, omninò errare, & à vero abluere, pulchrasque rerum ideas & imagines velut somniantem ante oculos ponere, quæ delectent quidem, sed nunquam fuerint. Carolum ergo Magnum jure partim belli, partim hereditario magnam Occidentis partem obtinuisse; quid ergo illi defuit, ut Imperator diceretur? quòd si dici noluit, modestè id fuit; maxime postquam dono & spontaneâ Populi Rom. subjectione Romana Urbis potius est; nam eandem ob causam Odoacer & Theodoricus Imperatores appellati sunt, subactâ Româ. Hæc Maimburgus citatis locis, repetitque Tractatu de Romana Ecclesia c. 29. Quæ omnia ex Matthæo Illyrico Lutherano Centuriatore accepta sunt, nec quidquam Gallicas voces Maimburgus ex suo addidit, mirumque est, Maimburgum, cum hæc Lutherani argumenta ex Bellarmino, ubi ea legerat, descripsisset, non etiam Bellarmini solutiones adjecisse; curenim has dissimulavit, si bonas? aut si malas, cur non evertit? aut quæ Religio, ac bona fides fuit, quæ Lutherani nobis objiciunt, pro argumentis suis sumere, & quæ nos illis respondemus, silentio à Maimburgo premi? ergo ut vinceret in mala causa, non erubuit Lutheranum advocare, eumque mendacis præcipuum, turpi utique triumpho, quamvis vicisset. Sed ad singula respondendum. 1. Dicit, solam coronationem, ritumque externum à Pontifice Maximo, non veram & Imperatoriam potestatem tributam Carolo esse, hanc enim Senatui, Populoque & militi, non Leoni adscribendam. Si ita est, cur ergo nemo ex tor scriptoribus antiquis (nam recentiores haud moramur, Sigibertum vid. & alios paucos) qui eam translationem commemorant, Populo aut Senatui adscribunt, sed Leoni tantum? nam si Leo instrumentum fuit, populus verò & Senatus auctor, & causa principalis, cur tantum opus non causæ potius principali, quàm instrumento dicaretur? cur solas acclamationes populo tribuunt, cum potius rem ipsam, collatamque dignitatem tri-

buere debuissent, si vera sunt, quæ Maimburgus narrat; nam quod scribit, prius à populo, Senatûque Carolum Imperatorem acclamatum esse, quàm Leo coronam imponeret, falsum esse ex Eginhardi historia constat, qui Carolo à secretis, & spectaculo intererat, sic enim loquitur: (a) *Cum die Sacratissimâ Natalis Domini ad missarum solemnia fuisset ingressus, & coram Altari assisleret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante; Carolo Augusto à Deo coronato &c.* Et Anastasius in vita Leonis: *Tunc almissicus Pontifex manibus suis proprijs pretiosissimâ Coronâ coronavit eum, tunc universi fideles unanimiter exclamarunt: Carolo piissimo Augusto à Deo coronato.* Vides, semper Coronationis prius mentionem fieri, quàm acclamationis: nec populum acclamasse, nisi jam coronato; eodemque modo alij Scriptores narrant, vid. Annales Francorum, Aimoinus, Otto Frisingensis, alijque. Quæ ergo Maimburgo fides, tam comperta & vulgata neganti? hauscit nimirum ex Illyrico Centuriatore, cujus argumenta descripsit, & quo nemo mendacijs largior. (b) Et planè consulisset Maimburgus famæ ac pudori suo, si postquam animo fixerat veritatem oppugnare, alium saltem ducem elegisset, & mendacijs minùs infamem. Nota etiam in vita Caroli ea verba Eginhardi: *Imperatoris & Augusti nomen in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die nunquam Ecclesiam intraturum fuisse, si Leonis consilium scire potuisset; cur non dicit: Si Senatus Populique Romani consilium prescire potuisset?* Nisi quia rem totam ex Leonis auctoritate pendere intelligebat. Sed & illud mirum, certumque indicium falsi, in re tam celebri, ac certatim à tot historicis, Grecis, Latinisque conscripta, ne unum quidem à Maimburgo allegari posse suæ sententiæ testem; nam si aliquem haberet, quanto illum apparatu, pompæque verborum in scenam produceret? id enim solet; cur ergo credas, quod nemo dicit, neque verò, aut in alienos sensus detorqueas, quod omnes, & tanto numero, clareque dicunt? ergo majorem nemini, quàm omnibus fidem habeas? Sed & ipse Maimburgus locis supra citatis fatetur, documenta & testimonia Innocentij III. in capit. *venerabilem*. de elect. Principum Electorum, Alberti Imperatoris, & Concilij Viennensis

(a) Eginh. in annal. ad an. 801. (b) De Illyr. mend. v. Bellarm. lib. de transt. Imp. c. 2. & Baron. ad ann. 800. n. 29.

nenfis (a) esse certissima, indubitata, nec posse negari nisi fundamentis historia, fideique humana convulsis. At verò hæc ipsa & indubitata testimonia non solum de ritu ac ceremonia externa, & coronatione non necessaria, sed de vera, realique Dignitate Imperiali intelligenda esse tam clarum est, ut nihil magis; sic enim sonant: Germanis Principibus concessum esse Jus eligendi Advocatum & Defensorem Ecclesie: Electoribus dissidentibus posse Romanum Pontificem non tantum Imperatorem, sed etiam Regem eligere, alio rejecto, omnique dignitate excluso: posse Pontificem declarare, electum à Principibus, propter heresim, Censuram, aliudque Impedimentum inhabilem Regno esse: posse imò teneri subditos ab eo, quem Pontifex, ejusve Legatus excluderint, omnimò desicere, & juramento solvi: Imperium auctoritate Pontificis à Grecis in Germanos translatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladii potestatem. Hæc omnia sunt verba ipsissima Innocentij, Concilij Viennensis, Alberti Cæsaris, ac Principum Electorum, quæ an explicari possint de sola ceremonia externa, rituque haud necessario, clarius est, quam dici debeat; mirumque sit, Gallos ipsos Maimburgo non irasci, tam infirmis, caducisque humeris tantam molem sustinenti, & supra vires conanti. Accedit & insigne Glabri testimonium (qui & ipse Gallus fuit, & utique ex sensu Gallicanæ Ecclesie scribebat) dum Jure Imperatorem eligendi necdum ad Septem Viros translato hæc scribit: *Illud nimium condecens ac perhonestum videtur, atq; ad pacis tutelam optimum Decretum, scilicet, ut ne quisquam audacter Imperij Romani Sceptrum prapropere gestare Princeps appetat, seu ut Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romana morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale.* (b) Additque causam: *Quod olim ubique terrarum quilibet Tyranni sese proaciter impellentes sapissime essent Imperatores creati, quanquam minus apti Reipublicæ.* Asserit hic Glaber, ad Romanum Pontificem publici boni, vitandæque Tyrannidis causâ pertinuisse, non solum coronare, sed etiam deligere Imperatorem, & contra Pontificis voluntatem neminem dici Imperatorem, imò nec esse potuisse: non ergo Pontifex ritum tantum externum, nec necessarium circa Imperatores

Yyy 3 exerce-

(a) Maimburg. de la decad. lib. 2. ad ann. 996. propè iait. (b) Glaber. lib. 1. in f. floruit circa ann. 1040. V. & Panyia. de Comit. Imper. & Regal. Sa. ccrdot. fol. 148.

exercebat; hic enim non pertinet ad *delectum Imperatoris*, & ad hoc, ut dicatur aliquis, *siq, Imperator*: & verò quid compescendis tyrannus solus hic ritus profuisset, si nihil Imperatoribus dabat, adimebaturque? num tyranni titulis tantum, & specie coercentur rebus vacuà? Commendat verò Glaber hanc in Pontifice potestatem, eamque dicit *Reipublica necessariam*; tantum abest, ut eam reprehendat, & inconcessam credat. Vides ergo, quæ tunc temporis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Sed ad convincendam Maimburgi vanam illam distinctionem, egregium est testimonium (a) Synodi Ticinensis, in qua expressis ac conceptis verbis habemus, Coronationem illam, quam Pontifices præstant, non esse merum ritum externum, nudumque ministerium, *sed electionem & approbationem, & solemnem ad Imperij Romani sceptri profectionem*. Quod postea Decretum Concilij Ticinensis ab Episcopis Galliæ in Synodo Pontigonensi *actione 2.* lectum, approbatumque est, teste Aimoino; excluso Ludovico fratre Germaniæ Rege, & Imperij æmulo. Et quamvis Galliæ Antistites in eadem Synodo Pontigonensi nunquam flecti potuerint, ut contra Galliæ privilegia Ansegiso Archiepiscopo Senonensi Primatum deferrent: quamvis subornato privilegio, & Caroli Imperatoris potentiâ, id enixè urgentis, fulciretur; ubi tamen de Imperatoris electione actum est, omnium assensus extemplo securus, reverentiâ Pontificis Romani. Nec ulli Episcoporum in mentem venit, ut dicerent, supra Pontificis Romani potestatem id esse, eoque Regni & Ecclesiæ Gallicanæ libertates violari; nam si violari istas crederent, cur non eodem animo, eademque constantiâ Pontifici & Carolo obstitissent, quâ utique obstitissent, cum pro Archiepiscopo Senonensi Primatum peterent? non ergo oblectandi animus, sed ratio illis defuit; elucet hic iterum, Coronationem à Pontifice factam non fuisse Galliæ iudicio speciem tantum ac pompam externam, sed Juri ac potestati Imperatoriæ conjunctam. Equidem non id ago, ut hic decidam, jure an injuriâ Joannes VIII. Carolum Calvum promoverit, neglecto Ludovico fratre, sed solum ut Pontificis Romani ostendam in

Impe-

(a) Syn. Ticin. §. unde nos. Habetur in annal. Pirthei f. 391. & apud Baron. ad ann. 876. V. Spond. ad eund. ann. n. 2. & ann. 875. n. 2. Syn. Pontigon. Act. 2. apud Spond. anno 876. n. 2. & Aimoin. lib. 5. c. 33. Græc. Apol. Baron. c. 15.

Imperatores exercitam, agnitamque à Gallis potestatem. Credo equidem satis auctoritate probatum, Leonem, cum Carolum Magnum Imperatorem pronuntiavit, non solum ei nomen, sed etiam Imperatoriam potestatem contulisse; sed etiam si auctoritas abesset, id satis ratio ostenderet; si enim ante Leonis Coronationem jam Imperator Carolus, ut contendit Maimburgus, cur nulla apud auctores istius Imperij mentio? cur modò post Coronam à Leone acceptam ab omnibus historicis Imperator appellatus? cur in omnibus Diplomatis ante Coronationem datis Regis titulum, postea verò Imperatoris præfigit? & denique cur anni illius Imperij modò à Coronatione numerantur? si enim Coronatio res tantum accidentaliter erat, nullumque Jus Imperatori tribuebat, & Carolus multò prius Imperator, cur non potius ab ipsa vera realique potestate, quam à mero titulo umbræque Dignitatis anni ducebantur? quod perinde est, ac si Regni sui annos non ab ea die numeret aliquis, quâ successit, vel electus est, sed ab eo, quo cum Sceptro & purpura in publicum processit; cum tamen fieri possit, ut multis prius annis Rex fuerit, quam insignia Regni induerit. *Sed*, inquit, Maimburgus, *modestia fecit, ne vellet Imperator appellari.* Inane responsum. Modestia enim aliena tantum usurpari prohibet, non proprijs uti; quis enim modestiæ adscriberet, & non potius aut hypocriti aut pudori rustico, si qui Parochus est, nollet Parochus dici: & qui Episcopus est, omnique conatu Episcopatum captasset, nollet eo adeptus Episcopus vocari? quòd si Carolo tanta modestiæ cura, oportebat illum non tam titulo & insignibus irasci, quam ipsi dignitati & potestati Imperatoriæ, quam teste Maimburgo tot prius annis adeptus erat, ac Græcis eripuerat: ipsique Græci nunquam prius de Carolo conquesti sunt, quasi Jura Occidentis Imperatorum occuparet (cum tamen multos jam annos præter Franciam & Germaniam Italiæ potiretur) sed modò, cum coronatum illum à Leone audierunt; id manifesto argumento est, non ante Coronationem Imperatorem fuisse, sed Regem; quod in Carolo æquè ac in alijs Longobardorum Regibus patienter Græci ferebant.

II. *Sed*, inquit Maimburgus, *quid Carolo deerat, ut Imperator dici ante Coronationem non posset, cum jam maximè Occidentis parte potiretur, & quantà nemo alius Imperatorum, Franciâ videlicet, Alemanniâ, Italiâq., aut quid illi Coro-*

*natio*



natio adjecit, quod prius non haberet? Resp. Hoc argumentum ex Illyrico descripsit Maimburgus, recitatque Bellarminus, *l. de transl. imp. c. 13. arg. 16.* Sed Maimburgus, ut tempori ac calamo parceret, Illyrici argumenta velut sua deprompsit, tacuitque Bellarmini responsa. Concedo ergo, magnam Occidentis Partem Carolo paruisse, sedur Regi, non Imperatori; prius enim quam Carolo hæc dignitas à Leone conferretur, legitimi Imperatores Occidentis Græci erant; nec oberat, paucas in Occidente Provincias eis tunc temporis paruisse; constat enim, Jura Imperij aut Monarchiæ vel in una Civitate, & exiguo terræ spatio conservari, quod leges Romanæ & ex illis Hermes (a) insignis Juris-Consultus egregiè ostendunt, & quantula Imperij Romani pars est, quam nostri Imperatores obtinent? Cùm ergo Occidentis Imperatores Græci essent, & in Italia Siciliam, Neapolim, Apuliam, Calabriamque tenerent, non poterat Carolus Imperator esse aut dici, nisi translato per Leonem Imperio: nec verò hæc Translatio merè titularis fuit & honoraria, ut putat Maimburgus; nam *primò* novus Imperatoris & Augusti titulus accessit, & cum titulo Jus præcedendi, gaudendique omnibus Privilegijs Romani Imperatoris, quæ tunc temporis majora fuisset, quam nostrorum Imperatorum, exemplo Henrici II, constare videtur, qui missis ad Concilium Turonense Legatis (b) graviter de Ferdinando Magno Castellæ & Legionis Rege conquestus est, quòd titulos & insignia Augusti usurparet, nolletque Henrico legitimo Imperatori obtemperare; & Ferdinandus Victori II, ut alienis honoribus abstineret monenti, modeste acquievit. Quanti verò etiam nuda insignia, tituli que, ac Jus præcedendi à magnis Principibus fiant, quantæque pro illis contentione certeretur, nihil attinet dicere, quippe & antiquis, & recentibus exemplis res nota est. Nec diffidetur (c) Maimburgus, Nicephorum Logothetam, qui Irenæ successerat, ægerrime tulisse, acceptum à Carolo Imperatoris nomen; sed cùm armatum illum, victorè que metueret, amicum quàm hostem maluit. Basilius quoque graviter cum Ludovico II, per literas expoſtulavit, (d) quòd

(a) Hermes in fascic. Juris publ. l. 1. q. 3. n. 30. argum. L. 7. ff. quod cuiusque univ. (b) Anno 1055. (c) Maimb. des lconcl. l. 4. f. 102. (d) Spoad. ad ann. 871. & 968. Anastas. in Vita Hadr.

quod non Regem, sed Imperatorem se scriberet, ejusque Legatos in Synodo Constantinopolitana pessimè habuit, quod Ludovicum Imperatorem appellassent; imò ex literis Apostolicis, quas dolo corruerat, expungi hunc titulum fecit; eandemque ob causam indignè accepti Ottonis Primi (a) Legati à Nicephoro Phoca, cujus privignam Ottoni filio petebat. In Occidente verò palam est, quanti hic titulus & Corona ab Imperatoribus ambirentur: hinc omnium ferè Imperatorum à Carolo M. usque ad Rodolphum in Italiam (b) expeditiones; nec anni Imperij à die successione, vel electionis, sed à die Coronationis per Romanum Pontificem numerabantur, ut passim in historia occurrit, & in Regali Sacerdotio exemplis probatum. Patet ergo, quanti à Græcis, Latinisque hæc Coronatio fieret, quantumvis daremus, quod tamen falsum est, merè titularem fuisse. *secundo*, accedebat præter titulum Imperatoris jus quoque non tantum eas Provincias occupandi, quæ ad Imperium Occidentis pertinebant, à Græcis, aut injustè ab alijs possessæ (erant verò Apulia, Calabria, Sicilia, Neapolis, Illyricum, Candia, Dalmatia, Cyclades insulæ) sed etiam retinendi, quæ Carolus Longobardis, & Longobardi Græcis eriperant; Longobardi enim injusto bello Italiam, & per Tyrannidem invaserant, non ergo ejus Dominium Græcus amiserat, & ideo nec Carolus retinere eam poterat, quippe legitimo, invitoque Domino ablata: & Græci nunc Legatis ad Pipinum missis, nunc classe in Carolum armatâ & atroci pugna defuncti Duce Adagiso Desiderij filio Italiam repetebant; cesseruntque eâ tandem pace cum Francis ac fœdere composito, ac Sicilia, Calabria, Apuliaque retentis: sed id translato jam Imperio evenit. Ut ergo Carolus justo titulo Italiam possideret, non suffecit, ut Longobardos bello vinceret, isti enim non Domini Italiæ, sed raptores erant, nisi insuper Imperio Occidentis augetur, quod, ut dixi, à Leone ei præstitum. Cùm ergo Maimburgus quærit, quid hæc translatio Carolo adjecerit, jam alias majorem Occidentis partem obtinenti? Respondeo, adjecisse titulum, præcedentiam, & alia Imperatorum Occidentis privilegia, ac insuper jus Italiam à Longobardis possessam occupandi, aliasque insuper Provincias, quæ ad Imperium

Zzz

Occi-

(a) Spond. ad ann. 968. (b) Vide Reg. Sacrd. f. 148.

Occidentis pertinerebant, nec Longobardis paruerant, vindicandi; & jam Pipinus Caroli filius bello accingebatur; sed ut dixi, Græcus prævenit, festinatâ pace, quod Æmilius in vita Caroli observat. III. Objicit insuper Maimburgus: *Romam Imperij Caput spontaneâ senatus Populique Romani cessione Carolo advenisse, ergo jam antè dici Romanorum Imperator poterat, quàm à Leone coronâ cingeretur: sic Odoacer & Theodoricus Imperatores dicti sunt, Romam adepti.* Respond. Promiserat Maimburgus, se de Imperij translatione ea dicturum, quæ ipsam lucem vincant certitudine, nec in dubium vocari possint; nunc promissi oblitus rem ponit incertissimam: incerta enim sunt, quæ de spontanea Romanorum subjectione narrat (nam Agilbertus, Abbas S. Richardi, non Francis jurâsse Romanos, sed Pontifici Leoni jussu Caroli Imperatoris, scribit) & videri potest Bellarminus (a) de Translatione Imperij. Sed juraverint Carolo Romani, at id fieri potuit jussu & auctoritate Pontificis Romani, à juramento, quod Græco fecerant, solutis; imò ita factum esse persuadent tum omnium scriptorum vota, uni Pontifici hanc Imperij translationem adscribentium, tum exempla Zachariæ Pontificis, & Stephani IV. de quo Theagnus, & ex illo Maimburgus: (b) *Stephanus postquam Pontificatum suscepit, statim jussit omnem populum Romanum fidei libertatem, cum Juramento promittere Ludovico.* Sed demus, populum Romanum se Carolo subjecisse, demus, id sponte sua, non Leonis auctoritate aggressum esse, non ideo Carolus Romanorum & Occidentis Imperator; Imperialis quippe dignitas non est loco & Urbi alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator esset, qui non haberet, non esset; ergo nec Leopoldus, nec alij longâ serie Augusti Imperatores Romanorum dici possent, nam Româ caruere: an verò Reges Hispaniæ, Galliæ, Angliæque Romanorum Imperatores, quia Regnis præsunt, quæ olim Provinciæ fuerant Romani Imperij? non ergo Roma, non Romanæ Provinciæ Imperatorem faciunt, sed qui legitimo ordine, jure videl. sanguinis, aut electionis Romanis Principibus succedit, sive is Romæ, seu Viennæ Regiam figat, nam ut observat Poëta:

*Sejos habitante Camillo*

*Illic Roma fuit.*

Patet

(a) Bellarm. de Transl. Imp. l. I. c. I. n. 15. & c. 13. ad 17. (b) Maimb. des Iconocl. lib. 4. ad ann. 800. Theagn. de gest. Lud. Pij c. 16. 17. 18.

Pater ergo ex dictis, quàm multis partibus Maimburgi laboraret objectio; nam quod de Odoacre & Theodorico addit, quasi occupatâ Româ Imperium gesserint, infeliciter, imperitæque ex Illyrico suo descripsit, qui hoc ipso argumento utitur (a) de translatione Imperij pag. 26. quamvis contrarium in Centurijs docuerit *Centur. 6. c. 16.* Quid rogo Barbari & Tyranni exemplum prober? eodem enim Jure Imperium & Italiam tenebant, quo Pyratæ & latrones viatorum spolia, tantumque ad probandum Theodorici & Odoacris exemplum valet, quantum pyratarum & latronum; ubi videas Maimburgi paupertatem tam infelicibus exemplis usi, cum alia deessent malæ causæ firmamenta. Deinde Theodoricus non ob Romam, Italiâque occupatam Imperator dictus, sed dono Zenonis, qui triumphum, Consulatum, & equestrem in foro statuatam Theodorico derulit, imò in filium adoptavit, præmia bellicæ virtutis, navatæque contra rebelles operæ: sed ipse fortunam suam non ferens, & majora, quàm caperet, animo agitans, primò Orientem, tum Italiam tentavit, subegitque, Benefactori suo ingratus, de quibus Evagrium, (b) Ennodium, Jordanemque Episcopum consule.

IV. Objicit etiam (c) Maimburgus in libro de Imperij declinatione: *Friderico Primo Imperatore vehementer Hadriano IV. Pontifici insensio, quod in litteris ad eum datis hæc verba posuisset; insigne Corona beneficium tibi contulimus; Hadrianum repetitâ ad Casarem Legatione protestatum esse, se illis verbis nihil aliud significare voluisse, quàm imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus.* Fatetur ergo Hadrianus, nullum aliud Pontificis munus esse circa Imperatores, quàm Coronam eis imponere; & hoc totum esse, quod præstant, cum dicuntur Imperatorem constituere, quod etiam Fridericus in Conventu Principum his verbis expressit, teste Radevico, (d) Ottonis Frisingani Continuatore: *Liberam Imperij nostri Coronam divino tantum beneficio adscribimus; electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest, cæteris secundum Ordinem Principibus, Regalem unctiorem Coloniensi; supremam verò, qua Imperialis est, Summo Pontifici, quidquid præter hæc ex abundanti est, à malo est.*

Z z z

Ergo

(a) V. Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 1. n. 7. (b) Evagr. l. 3. c. 25. Enno d. in Paneg. Jord. Episc. in Orat. Spond. alijsque (c) Maimb. de la decad. l. 5. f. 451. (d) Radev. lib. 1. cap. 15. & 16.

Ergo ex Hadriani & Friderici sententia, cum Pontifices Imperatorem coronant, nihil exhibent præter externam ceremoniam, sacramque Unctionem: *Idque, inquit Maimburgus loco citato, tota hæcenus Gallia credidit; quidquid enim Imperialis potestatis in Occidente Carolus & Otto Magni possederant, aut paterna hereditati, aut gladio debent.* Respond. Confundit Maimburgus tempora, educitque argumentum, quàm visu speciosum rerum imperitis, tam historiam callentibus ne aspectu quidem dignum, quod ferè in hoc scriptore perpetuum. Cum hæc Episcopi Germaniæ ad Hadrianum ex mente Friderici scriberent, agebatur annus 1157. quo tempore Jus eligendi Imperatorem in certos Germaniæ Principes auctoritate Summorum Pontificum translatum fuerat. Sciendum enim est, dominante stirpe ac familiâ Carolinâ jure legitimæ successionis Regnum Germaniæ deferri (cui Imperium annexum erat) vel potius transmitti ad proximos Agnatos consueville; sed extinctâ Carolinâ stirpe Reges eligi cœpere. Ea in Ludovico IV. (a) Imperatore Arnulphi filio, ac sine virili prole defuncto, extincta est. Supererat ex Carolina stirpe Carolus cognomento Simplex, Franciæ Rex, sed eo ob ignaviam contempro, Imperium à Principibus Germaniæ Ottoni Saxonie Duci, istoque recusante Conrado Primo, Franconiæ Principi, oblatum. Anno DCCCCXIX. moritur Conradus, & Henricus Auceps Saxonie Dux, ad quem Conradus insignia Imperij transferat, communi Principum voto sufficitur. Anno DCCCCXXXVII. in Comitibus Generalibus Aquisgranum indictis Otto Magnus Henrici Aucupis filius Rex Germaniæ pronuntiat, inungiturque ab Archiepiscopo Moguntino. Ottoni, ejusque filijs, quò eos ad liberandam Romanam Ecclesiam invitaret à Tyrannis oppressam Leo VIII. privilegium concedit, eligendi successores Germaniæ Reges, postea ad Imperium à Pontifice promovendos. Recitant hoc Privilegium non Baronius (b) tantum, sed etiam ipsi Centuriatores (c) Lutherani, verba Privilegij inter alia sunt etiam hæc: *Nos quoque Leo, servus servorum DEI, Episcopi similiter cum toto Clero & universo populo Romano constituimus, confirmamus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur*

Domino

(a) Anno 912. (b) Baron. ad ann. 996. n. 41. habetur cap. in Synodo d. 63.  
(c) Centuriar. Cent. 10. cap. 16.

Domino Ottoni Primo Teutonico Regi, ejusque successoribus hujus Regni Italia in perpetuum facultatem successorum eligendi &c. Quo privilegio Otto ejusque filius usi sine alia electione, jure sanguinis Imperium adepti sunt. Witichindus tamen, Continuator Reginonis, & Platina in vita Benedicti VII. etiam istos à populo electos dicunt. Post Ottones non amplius successione, sed electione proventi Imperatores, quod de Henrico II. Rege, & I. Imperatore, qui Ottoni III. successit, Conrado II. Rege & I. Imperatore, Henrico IV. Rege & III. Imperatore, Henrico IV. Imperatore, Lothario II. Conrado II. Imperatore. Friderico I. Ottone IV. & Friderico II. docent Auctores (a) hic ad marginem citati. Sæpetamen in forma eligendi variatum, aliquandiu enim etiam populus ad suffragia admittus, imò Principes, Urbesque Italiae, ipsique per suos Legatos Pontifices, quia videlicet Italiae Regnum pars Germanici Imperij censetur: aliquando ad solos Principes Officiales, Ministrisque Imperij jus eligendi spectavit: aliquando soli, omnesque, qui vellent, Principes Germaniae. Tandem ad Septem Viros res delata, adeò ut ultima de Electoribus Constitutio multa capita completeretur, videl: ut non hæreditate, sed electione Imperium quaeratur; ut soli Principes, non populus eligat; ut soli Germani; ut non omnes, sed sex tantum aut septem. Fuisse autem institutum Collegium Electorale, receptumque non quidem quoad numerum Electorum, sed quoad alia electionis capita supra commemorata, ac Principibus Germaniae jus eligendi concessum, idque ante obitum non solum Friderici II. sed etiam Friderici I. Imperatorum, dubitari non potest; id enim omnes Auctores (si Onuphrium Panvinum excipias de Comitibus Imperatorum, & Auentinum) gravissimique testantur, ac Friderico II. coævi; ij sunt S. Thomas, (b) Beatus Augustinus Triumphus, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, alijque quos citat Bellarminus; hi omnes ad tempora Ottonis III. referunt hoc Privilegium, & facultatem Principibus Germaniae datam circa Imperatoris electionem; & ab Ottone III. per ducentos & supra

ZZZ 3 annos

(a) Otto Frising. l. 6. c. 27. & 28. l. 7. c. 22. & l. 2. de reb. Frid. Ursperg. in Chron. anno 1053. & 1106. Continuator Sigeberti an. 1126. Witich. l. 1. rer. Saxon. Luitpr. l. 2. c. 7. (b) S. Thom. l. 3. de Regim. Princ. c. 19. B. Aug. Triumph. de pot. eccl. q. 35. Lupold. l. de jur. Imp. c. 3. Alu. Pelag. l. 1. a. 41. Villan. l. 4. hist. Flor. c. 20.

annos usque ad Fridericum II. negari haud potest, Jus eligendi penes omnes Principes fuisse, id enim & ipsae electiones ostendunt, & litterae Romanorum Pontificum ad omnes Principes Germaniae datae de nova Imperatoris electione, Gregorij (a) videlicet VII. circa annum MLXXX, & (b) Innocentij III. MCC. Ipse Fridericus II. non à septem tantum, sed à quàm plurimis Germaniae Principibus electus est, ut apparet ex Comitibus ea de causa habitis. Numerus ergo Septem-Viralis aut à Gregorio V. natione Germano, & Ottonis III. Nepote institutus est, quod voluit Bellarminus; obiit verò Gregorius anno 999. & jus eligendi concessit Germanis in Synodo Romana anno DCCCCXCVI. aut in Synodo Lugdunensi prima ab Innocentio IV. anno MCCXLV. quod probat Baronius (c) testimonio Matthaei (d) Parisiensis, & actuum Concilij Lugdunensis, in quibus id clare asseritur. Et verò multae magnaeque rationes erant, numerum Electorum ad paucos restringendi, ob ingentia mala, flammisque bellorum, quae totum Imperium, Ecclesiamque in partes scindebant, vastabantque ambitione Candidatorum. Nisi malis dicere, in Concilio Lugdunensi primo non tam fuisse constitutum numerum Septem-Viralem, quàm renovatum, præceptumque observari, cum hætenus induci Principes non potuissent, ut se jure eligendi abdicarent. Deberi verò hunc numerum, formamque eligendi Summorum Pontificum auctoritati, in Regali Sacerdotio (e) evidenter ostendimus, productis vid: testimonijs omni exceptione majoribus, ac etiam confessione adversariorum certissimis. Patet ergo ex dictis, frustra à Maymburgo testimonia Hadriani PP. & Friderici I. Imperatoris objectari, nullum Jus Pontifici Romano, excepta Coronatione, sacraque Unctione agnoscentium; eo enim tempore totum Jus eligendi in Principes Germaniae Pontifices transtulerant, & idèd non Pontificum ea cura, sed Principum erat, nisi cum Ecclesiae & publica necessitas aliud exigerent; quae ergo consequentia à Friderico ad Carolum Magnum, quando & ultima necessitas Pontificem urgebat, & jus Imperatorem eligendi necdum ad alios translatum?

(a) Innocent. III. in cap. venerabilem. de elect. (b) Greg. VII. l. 4. ep. 3. (c) Matth. Paris. in V. Henr. III. (d) Baron. ad ann. 996. (e) V. Regale Sacerd. f. 166.

7. Allegat Maymburgus testimonium Ottonis Frisingensis, Viri sanctitate & eruditione præcipui, nec minùs Pontificum, quàm veritatis studiosi; is enim ita loquitur: (a) *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice vel excommunicatum, vel depositum.* Hæc Otto non scriberet, si aut legisset, aut putasset, Græcos Imperatores majori parte Romani Imperij à Leone privatos esse. Et verò quis credat, à tam præclaro scriptore rem tam celebrem aut ignoratam, aut negatam esse? *Resp.* Ottonem Frisinganum (b) inter præclaros Scriptores numerandum esse nemo inficias jverit, sed & illud compertum, non caruisse illum nævis, quæ humanam naturam comitantur. Quantis ille laudibus Gilbertum Porretanum non extulit? aded ut S. Bernhardum, qui Porretanum confutabat, nimij ardoris incusaret: sed moriturus errorem agnovit, deploravitque, ac libros, quos ea de re scripserat, corrigi à suis iussit, teste Radevico (c) Canonico Frisingano. Quid ergo mirum, si Otto Imperatorum frater & Patruus naturæ aliquid & affectui indulserit? præsertim cum semper aulam & castra Cæsaris sequeretur, ubi querelæ in Pontificem perpetuæ. Et reverà deceptum Ottonem, cum scripsit, à nullo ante Gregorium Pontificem Imperatores Romanorum excommunicatos fuisse, plus quàm certum est; nam anno CCXXXVI. Fabianus Papa teste Eusebio (d) Philippum Imperatorem multis delictis impiatum Ecclesiâ eiecit, nec prius admisit, quàm publicâ pœnitentiâ & confessione veniam flagitijs impetraret. Anno CCCVII. Innocentius Pontifex Arcadium & Eudoxiam Imperatores ob proscriptum Chrysostrum anathemate percussit; inter alia litteris ad eos datis ita Pontifex loquitur: (e) *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus Magni Petri commissus est, segrego & rejicio te, & illam, à perceptione immaculorum mysteriorum DEI nostri. Episcopum autem, aut Clericum Sanctæ DEI Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, dignitate excidisse decerno; quod si ut homines potentes quenquam ad id vi adegeritis, scitote, id vobis non*

par-

(a) Otto Frising. in Chron. l. 6. c. 35. (b) Otto Frising. l. r. c. 46. (c) Radev. in Frid. l. r. c. 46. (d) Euseb. l. 6. hist. c. 27. Spond. ad ann. 246. n. 2. (e) Theodor. l. 5. c. 34. Niceph. l. 13. c. 34. Glycas Annal. p. 4. Extant Tom. r. epist. Rom. PP. ep. Innoc. 17.



parvum peccatum fore, in tremendo illo Judicii die, cum neminem hujus vita dignitas & honor adjuvare poterunt. Anno DII. Symachus Papa Anastasium Imperatorem Sacris interdicat. Anno DXXXVII. idem fulmen in Theodoram Augustam Justiniani Conjugem: Quod perimaciter Eutychianis saveret, à Vigilio Pontifice vibratum, ut testis est B. Gregorius Papa. (a) Anno DCCXXX. Leo Isauricus à Gregorio II. quod Sacras Imagines persequeretur, in Synodo Romana diris percutitur: testes sunt Theophanes, Zonaras, Græcique & Latini omnes. Aut ergo deceptus est Otto Frisingensis, cum negat, quendam Imperatorem à Summis Pontificibus excommunicatum esse, aut intelligendus de Imperatoribus Germanis. Sed qui excusos Maimburgum tantum historiae ostentatorem, & hæc necessitatem? quique toties, tantoque verborum strepitu Baronio congregitur; nunc Ottoni propitium, eo solum nomine, quod contra Pontifices scribar; nam si Ottoni contra Imperatores similis error excidisset, quantam puras solertia illi expromendo Maimburgus laboraret? adeo hunc hominem non veritas, sed odium delectat. VI. Opponi etiam potest, quod narrat Siegbertus in Chronico, videl: Clodovæum Regem ab Anastasio Imperatore Codicillos de Consulatu, & Coronam auream accepisse cum gemmis, & tunicam blateam, & ex ea die Consulem, & Augustum appellatum esse, ipsum vero Coronam cum gemmis Sancto Petro dono misisse. Causa quærendæ, parandæque cum Clodovæo amicitia bellum fuit cum Theodorico, (quod Pannoniam occupasset) Gothisque susceptum, quo tempore eisdem Gothos Clodovæus ingenti clade delevit, Alarico eorum Rege sua manu percusso. Si ergo, inquitur, Anastasij Imperatoris dono Clodovæus Consul & Augustus fuit, sequitur hanc dignitatem Augustalem ad Clodovæi posteros, & consequenter Carolum Magnum, non Pontificis auctoritate, sed hæreditario devenisse, Resp. Cum nullus Scriptorum Clodovæum, multoque minus ejus posteros in factos consulares, aut numerum Imperatorum referat, palam est, sola insignia, titulumque Clodovæo oblata, non verò ipsam Consulis potestatem: & hoc ipsum fuisse prærogativam Personalem, & cum Clodovæo extinctam, nec in ejus posteros propagatam; quis enim ex omnibus Franciæ Scriptoribus

(a) S. Greg. 2. epist. 36.

101 0 1 1. qui. 1011 01 1011 1011

Reges Galliae Imperatores & Augustos appellavit? & quam ob causam Graeci Imperatores tam ægro animo hunc titulum à Carolo assumptum esse dolere, si ad ipsum, ejusque majores spectabat, Graecorum dono? Adde, nec Carolum Magnum ex Clodovæi, sed Pipini stirpe prognatum, & idè nec potuisse jure hæreditario gaudere Clodovæi privilegijs. VII. Objicit etiam Illyricus Sigeberti, Vincentij Belluacensis, & Lupoldi auctoritatem, qui videntur hanc Imperij Translationem non Pontifici, sed populo adscribere. Resp. Qui rogo sunt hi Auctores, & tam pauci numero, & tot annis à Carolo remoti, ut possint cum alijs innumeris, ac Carolo coevis componi, qui omnes hanc Translationem Imperij non populo, sed Pontifici tribuunt? & cum Imperium non penes populum Rom. sed Græcos esset, qui poterant Romani tribuere, quod non habebant? idem perinde esset, ac si diceret, posse Gallos Imperium Romanum in Principes Borbonios transferre, cum tamen nec Galli hoc Imperium habeant, nec dare alijs possint. Et Sigebertus nihil aliud dicit, quàm (a) *populum Carolo Regi Imperatorias laudes acclamasse*. Lupoldus verò ex instituto probat, non potuisse à populo Romano Imperium transferri. Vincentius Belluacensis idem quod Sigebertus scribit, nihil ergo ex his Auctoribus probari potest.

Patet nisi fallor ex hætenus dictis, Romani Imperij Translationem auctoritate Romani Pontificis factam esse, & argumenta, quæ in contrarium opponuntur, tam esse infirma, & omnium præsertim antiquorum testimonijs adèd convinci, ut vel hoc ipso imbecillitatem suæ causæ ostendant, quòd tam vanis nitantur: sed nescientibus imponunt; brevi tamen, & fædo mendacij solatio, placuisse imperitis, & decepsisse. Nunc ad alia exempla hujus Pontificiæ potestatis vertamur, si minùs celebria, at æquè vera, semper tamen intra Galliam hærebimus, idem propositum mihi, ut longâ, certâque inductione ostendam, quænam mens fuerit Ecclesiæ Gallicanæ.

VIII. Anno DXCIII. *Potentibus Francorum Regibus*, inquit Spondanus, *B. Gregorius Magnus Monasterio Sueffonensi S. Medardi in Gallia Privilegium concedit, quo illud constituit caput omnium Monasteriorum totius Gallie.*  
A a a a

(a) V. Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 10.

& nullius voluit ditioni subijci, præterquam Sedis Apostolica. Initium huius Privilegij sic habet: *Preiosissimis lapidibus in Diademate Christi, &c.* Et infra: *Si quis autem Regum, Antistitum, iudicum huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis Decreta violaverit, vel aliter ordinaverit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur.* Huic privilegio Theodoricus Rex, alijque Franciæ Episcopi subscripsere, ut intelligas, quæ tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ mens, & sententia fuerit. Adverte tamen, eam subscriptionem postea adjectam esse Theodorico Galliam gubernante; anno enim, quo ea Constitutio facta est, videl. DXCIII. Gildebertus regnabat. Tanta verbò fuit modestia, pietas & doctrina Gregorij, ut eum aut fastu, aut ignorantia errasse, dubitare nemo possit.

IX. Anno DCHL. Idem Gregorius M. concessis privilegijs Xenodochio à Brunihilda Regina & Theodorico ejus nepote eandem clausulam subnectit, vid. *Si quis verò Regum, Sacerdotum, iudicum hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscentes contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate privetur.* Nota circa has Epistolas, eas inter epistolas B. Gregorij (a) reperiri, & in omnibus quidem tam impressis, quàm scriptis Codicibus, citantque non solum Gregorius VII. sed etiam illi, qui Galliæ monumenta collegerunt, vid. Andreas du Chesne, Jacobus Sirmondus, alijque quàm plures Galli, & ab undecim ferè seculis nemo de illis dubitavit. Maimburgus, cum nihil solidi objectare his epistolis posset, in solitas invectivas effunditur, & armis destitutus cymbalo perstrepat: *Imposturas creberrimas vocat, & inverecundos, qui earum testimonio utuntur.* Si quæras, quibus rationibus contra tot seculorum cursum nitatur, tamque insignes viros, ad quorum vix simbras ipse assurgat, tam indignis censuris perstringat? nullas prorsus adducit, imò nec testes, perinde ac si Maimburgi auctoritas toties fœdata, & malæ fidei comperta tanti sit, ut undecim seculorum possessioni præferri debeat, & in ejus gratiam Gregorius Pontifex, Spondanus, alijque impudentiæ notari; nam quòd dicit; *repugnare Gregorij modestia tam severas*

(a) Greg. VII. l. 8. ep. 2. & l. 4. ep. 2. & 23. Sirm. Concil. Gall. T. I. Andr. du Chesne hist. Franc. T. I. Spond. ad ann. 593. n. 6. Baron. ibid. n. 95. Greg. M. l. 11. ep. 10. ind. 6. V. tract. de libert. Ecclesiæ Gall. f. 175. Maimb. traité de l'Eglise de Rome f. 403.

*Clausulas*; jam supra ostendimus, eum Gregorium fuisse, qui & obsequi sciret & imperare, & cum necessitas posceret, modestiam severitati jungeret.

X. Anno DCCCXXIII. In Ludovicum Pium Imperatorem Pipinus, Lotharius, & Ludovicus filij armantur. Causa pudendi belli ambitio; jamque acie congregari paratis Gregorius Papa, qui ex Italia advolaverat, pugnam diremit: sed eo digresso bellum iterum, litésque accensæ. Conventus Episcoporum Compendij habitus; illic Sacerdotum auctoritate Imperium Ludovico ademptum, & Lothario filio traditum. Audi annales Francorum ex Bibliotheca Pichœi editos, qui sententiam ab Episcopis latam ita referunt: *Omibus in Christiana Religione scire convenit, quale sit ministerium Episcoporum, quos constat esse Vicarios Christi, & Clavigeros Regni Cœlorum, &c. Et infra: Proinde notum esse necessarium duximus, qualiter nos Episcopi super Imperio Domini Lotharij Imperatoris constituti memoratum Principem humiliter audivimus, & hoc quidem illi, seu Optimatibus ejus, seu omni generalitati populi, quo undique illuc confluxerat, manifestari curavimus, qualis sit vigor & potestas, seu ministerium Sacerdotale, & quali meretur damnari sententiâ, qui monitis Sacerdotalibus noluerit obedire. Et infra: Sed quia idem Princeps Ludovicus ministerium sibi commissum negligenter tractavit, & multa, quæ DEO & hominibus displicent, fecerit, & facere compulerit, & in multis nefandis consilijs Deum irritavit, & populum sibi subjectum ad generalem interitum contraxit, & ab eo divino justoque judicio subito Imperialis sit subtracta potestas, nos tamen, &c. Vides, quid Episcopi Galliæ senserint de Ecclesiastica in Regna potestate. Et quamvis postea (a) hoc Decretum, ut Æmilij & Marianus Scotus notant, auctoritate Gregorij Pontificis rescissum fuerit, & Juditha Augusta Imperio & thoro restituta, ac Lugdunensis Archiepiscopi temeritas multata, imò ab omnibus ferè Gallis execrationi habita; non idè id fuit, quòd negarent, hanc esse in Ecclesia potestatem, sed quia, ut loquitur, quires gestas Ludovici tunc temporis conscripsit, pro his, de quibus jam penitentiâ gesserat Imperator, iterum publicâ penitentiâ judicaretur. Cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam, eumque absentem & inauditum, neque consentem, neque convictum adjudicârunt. Ubi vides, non esse de potestate, sed de abusu querelam; imò Ludovicus,*

A a a a

(a) Baron. ad ann. 833.

cus, quamvis exercitus affluerent, constaretque injustam esse sententiam, & urgeretur totius Galliae votis in thronum redire; ut tamen palam faceret, quantum ipse potestati Ecclesiasticae deferret, noluit nisi Episcoporum manibus Coronam recipere, gladioque accingi. Sic enim auctor vitae Ludovici: *At verò ij, qui cum Ludovico remanserant, eum ad recipiendas Imperatorias Insulas hortabantur, sed Imperator nequaquam propere eorum voluit sententia acquiescere, sed Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consensit.* Agnovit ergo Ludovicus, esse in Ecclesia potestatem, quae Imperatores moveat noxios Religioni; idque in Gallia aded receptum fuerat, ut non solum Ludovicus Imperator, sed postea etiam Carolus simplex id agnovit; cum enim anno DCCCXCVIII, cum Normannis tunc temporis idolorum servituti addictis foedus contra Odonem Franciae Tyrannum pararet, Fulco Archiepiscopus Rhemensis, pietate & doctrina celeberrimus, re intellecta Carolum ab incepto revocat, minatus, nisi impio foedere abistat, *se nunquam ei si- delem exiturum, sed & quoscunque posset, ab ejus fidelitate revocaturum, & cum omnibus Episcopis suis ipsum Regem aeterno anathemate damnaturum.* Verba sunt ipsius Fulconis (a) apud Flodoardum. Parat Rex salubria monenti, & DEUS in praemium auditi Sacerdotis Odonem amulum Regni è medio sustulit. Ceterum circa utrumque observa, cum Reges exaudorare, eorumque subditos juramento absolvere ad majores causas pertineat, & plerumque totius Ecclesiae aut quies, aut turbatio in eo vertatur; non posse rem tanti periculi à solis Episcopis suscipi, sine Romani Pontificis auctoritate, assensuque, ad quem in majoribus causis iudicium & sententia pertinent; & in hoc quoque graviter ab Episcopis peccatum, qui Ludovico Imperium ademerunt; sed hoc ad abusum potestatis pertinet, de quo modo non disputamus, quis enim nescit, non ided privari potestate supremos Principes, quia aliqui eam abutuntur, alioquin omnis è mundo potestas proscribenda, quia vix aliqua non abusu foedatur: id verò perindè esset, ac si oculos linguamque omnibus adempta velis, quibus homines toties delinquant; majori pernicie, quam remedio. Subinde tamen silentium & approbatio Pontificis Romani pro assensu fuit, quod etiam in sequenti exemplo observa.

(a) Flodoard. lib. 4. cap. 5.

XI. Anno DCCCXLII. Lotharius Imperator Ludovicum, Carolique fratres bello aggressus, acie vincitur, fugamque capit. Episcopi Galliae Aquis conveniunt, & Lotharium Regno, Imperioque; abdicant, duobus fratribus in ejus locum suffectis; prius tamen de Lotharij criminibus cognoscunt, vindicantque, ac tunc demum Imperio ejiciunt; sed nec fratres admissi, nisi prius se justè & ex legum præscripto regnatos jurassent; audi Nithardum, Francorum nobilissimum, & Caroli M. ex filia nepotem, qui que omnia coram spectabat; sic enim inter alia: *Qui Episcopi ab initio gesta Lotharij spectamus, quomodo Patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum perjurum effecit: quot homicidia, adulteria, incendia universalis Ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit: insuper autem neque scientiam gubernanda Republica illum habere. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod vindicta Dei illum ejecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se ad regendum tradiderit. Veruntamen haud quaquam illis Episcopi hanc licentiam dedere, donec percunctati sunt, an secundum Dei voluntatem regere vellem? & respondentibus se velle, ajunt, & auctoritate divina ut illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem Regatis, monemus, hortamur, atque precipimus. Vides hic, Galliae Episcopus jus Imperijs ac Regibus dicere, nostramque sententiam non calamo solum, sed exemplo docere, & Coronas de uno in aliud Caput transferre, certis tamen, fixisque legibus, & juramento sancitis: quid amplius velis?*

XII. Anno DCCCLX. Ludovicus Pius Imperator, cum tres filios reliquisset, Lotharium primum Imperatorem, Ludovicum Germaniae Regem, & Carolum Calvum, istorumque factionibus, bellisque Civilibus, diu Imperium & Gallia conflictarentur; tandem inter Ludovicum & Carolum fratres, eorumque ex fratre nepotem Lotharium (filium Lotharij Imperatoris) pax sancita est, ac mutuis juramentis firmata; sed Caroli ambitio, pacto: um ac finium impatiens omnia abruptit, invasitque fratris ac nepotis Provincias; hinc à Ludovico & Lothario ad Nicolaum querelae, quibus ut in vasorem compesceret petebatur; inter alia sic Pontificem alloquuntur: (a) *Oporteret vestrae auctoritatis jubar propter generalem solitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla movent fraterna charitatis*  
Aaaa 3 visera,

(a) Exactis Concilij apud Confluent: in MS. Cod. Anton. August. ap. Baron. ad ann. 860.

viscera, Apostolica invectione ad censuram venire Ecclesiasticam compellat. Vides hic testimonio Regum Galliae, posse Romanos Pontifices de causis Principum temporalibus cognoscere, sententiam proferre, & compellere repugnantes, quod magis etiam ex mox dicendis apparebit. Nam cum idem Lotharius Waldradam pellicem deperiret, eamque, abdicatâ Theutpergâ Reginâ, in thorum recepisset, Nicolaus Papa, nisi protinus resipisceret, non tantum Ecclesiâ, sed etiam Regno se illum amoturum minatus est. Sic enim loquitur: (a) *Non patiamus, te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra nostras definitiones, vel adversus dictam feminam B. Petri confugio prorsus immixtam, agere quoquo modo consentias, cum tibi potius & Regno tuo, quàm Theutperga acquiras omnino dispendium.* Quibus verbis Regni abdicacionem minari Nicolaum non solum Baronius & Spondanus ad an. DCCCLXVI, testantur, sed etiam ipse Lotharius agnovisse videtur, quando in hæc verba (b) reverentiæ & modestiæ plena Nicolao respondit: *Uti Antecessores nostri Sanctissimorum Prædecessorum vestrorum monitis obedierunt, ita nos etiam coram excellentia Apostolatus vestri nos humiliare cupimus; quamobrem cernuo lumine vestram assatim deposcimus Paternitatem, ut dum nos vobis, missisque vestris per omnia obedire volumus, non aliquem nostri DEO miserante consimilem super nos extollere, aut terra præponere vestra libeat Paternitati, ne forte ipsi talem contra moliri velint causam, quam tolerare non valeamus pro Regio munimine, inter nos aliquod scandalum evenire possit. Et infra: Nulli prorsus homini subiecti esse volentes, nisi DEO, & sancto Petro, ac cæteris Sanctis, vestraq; Paternitatis culmini, mi Pater & Domine &c. Vides, profiteri Lotharium, se nulli prorsus homini subiectum esse, nisi sancto Petro, ac cæteris Sanctis; quod utique de subiectione temporali saltem indirecta accipiendum est, si enim de subiectione merè Spirituali intelligas, quis nescit, Reges non solum Pontifici, sed etiam Episcopis, aliisque Sacerdotibus subiectos esse? Rursus illa verba: *Vestram deposcimus Paternitatem, ne aliquem nostri consimilem super nos extollere, aut terra præponere libeat;* aperte significant, & Pontificem minatum esse, & Regem timuisse, ne alius Regno imponeretur.*

XIII. Anno DCCCLXIX. Mortuo Lothario Carolus Calvus ejus Regnum invadit, occupatque assensu Procerum, excluso Ludovico

(a) Epist. Nicol. 51. apud Binn. T. 3 Conc. sect. 2. (b) Epist. Loth. ad Nicol. PP. ex Cod. Treu. ap. Baron. ad ann. 866. n. 43.

vico Imperatore defuncti fratre, ac legitimo Regni hærede. Hadrianus II. qui Nicolao successerat, ubi id intellexit, Legatos ad Carolum mittit, jubetque alieno Regno abstinere, nisi pareat, anathema intendat, infirmatque electionem iniquè peractam. Verba Pontificis ad Regem, & Episcopos apud Aimoinum (a) sunt ista: Regnum quondam Lotharij, quod spiritali filio nostro Ludovico Imperatori hereditario jure debeatur, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se flectere conetur; quod si quis præsumat, non solum per nostra auctoritatis ministerium infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus cum Diabolo omnino locabitur. Et infra: (b) Carolus peractâ venatione autumnali ad Monasterium S. Dionysij perrexit, ubi Apostolicos Legatos cum epistolis ad se & ad Episcopos Regni sui directis, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharij interdicens, moleste accepit. Et ipse Hadrianus in epistola ad Carolum Regem: Ludovico Casari contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi DEI multis laboribus insistenti, & Saracenorum multitudinem superanti, ut pax fieret, cedere noluisse &c. Et infra: (c) Igitur monemus, & auctoritate Apostolica modis quibus possumus spiritaliter suademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertio monitus ab invasione Regni Spirituales filij nostri, Christianissimi Principis te subtrahas; nos etenim, nisi saltem nostris parueris monitis, nullo pacto, nulloque prætermitemus ingenio, quo minus nosmet ipsi partes illas petamus, & quod nostri est ministerij penitus peragamus. Vides hic iterum, Romanum Pontificem jus Regibus dicere, & ad quem Regna pertineant, aut non pertineant definire, ac procerum Regni electionem, quòd injusta ea esset, penitus solvere. Sciendum enim est, in Synodo Metensi ab Episcopis & Magnatibus Regni fuisse Carolo delatam Coronam, quorum inter alia sunt etiam hæc verba: (d) Quia voluntatem DEI unanimitate nostrâ videmus, hunc Regni hujus hæredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, vid: præsentem Regem ac Principem nostrum Carolam, ut nobis præsit & proficiet &c. Pontifex ergo Romanus dum Regiam electionem ab Episcopis & Optimatibus factam auctoritate suâ dissolvit, satis ostendit, quid in Reges & Regna possit. Nec obstat, Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, aliòsque Gallia Episcopos obstidisse Pon-

(a) Aimoin. l. 5. c. 24. & 26. (b) Id. l. cit. c. 27. (c) Ep. Hadr. PP. ad Carol. Reg. apud. Baron. anno 870. ex Cod. Petr. Fabr. Parisijs allato. (d) Ex Actis Syn. Met. quam prædatoriam appellârunt.



Pontificis decreto, quorum hæc sensa & verba in epistola Hincmari ad (a) Hadrianum leguntur : *Omne Regnum seculi huius bellis quaritur, victorijs propagatur, & non Apostolicis, vel Episcoporum excommunicationibus obinetur; & scripturam divinam proponunt dicere: Domini est Regnum, & cui voluerit dabit illud: & Dominus Apostolicus Rex & Episcopus esse simul non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum Ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, tractaverunt.* Hæc ex Gallorum sententia Hincmarus; non ergo hanc in Pontificibus potestatem admiserunt, imò reiiciunt, damnantque. *Resp.* Mirum non est, si Hincmarus, alijque Episcopi, qui in Concilio Metensi Coronam Carolo imposuerunt, Ludovico abdicato, nunc quòque factum excusent, quid enim aliud expectares à Synodo Prædatoria, qualem hanc Metensem appellarunt? & quem latent Hincmari artificia, & intemperies scribendi? Malè ergo ab irato & offenso, & Regi Carolo adversus Pontificem tot titulis devincto argumentum sumitur. Deinde demus, Gallos obstiterisse, ac saltem constar, Hadrianum Pontificem auctoritate suâ in Reges æque ac alios Summos Pontifices usum, & ita falli Maymburgum, qui negat, conaturque inductione ostendere, nunquam id Pontifices ausos esse, quasi verò exempla Zachariæ, Gregorij, Leonis, Stephani, Nicolai, aliorumque ignorentur, qui Regibus imperarunt: frontesque Coronatas Imperio crucis submisere: & in hoc ipso exemplo, quod manibus versamus, quis nescit, Carolum Calvum auctoritate iussuque Joannis Pontificis (quod in Concilio Pontigonensi Galli venerati sunt, non ausi obistere) coronam & Imperium accepisse (b) Ludovico debitum majori natu? Agnovit ergo Gallia hanc Pontificum in Reges potestatem, sed tunc, cum pacata, cum libera passionibus fuit, & ratione, non irâ ad clavum sedente.

XIV. *Anno DCCCXCVIII.* Carolus Simplex Ludovici Balbi filius, cum se imparem videret Tyrannis Galliam occupantibus, præsertim Odoni Comiti Parisiensi, cum quo paulò antè pacem inierat, vires cum Northmannis idolorum cultoribus sociare parat, ac fœdus componere; quod ubi Fulco Rhemorum Archi-Episcopus intellexit, ac Religionem, animasque periclitari

(a) Epist. Hincm. ad Hadr. PP. anno 870. (b) Aimoin. l. 5. c. 31. 32. & 33.

impiorum confortio, literas ad Regem componit, libertatis ac ardoris plenas, & quales solent, cum quis amat, dolereque, & medius inter indignationem ac reverentiam pender, clauditque his verbis Epistolam, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt, vid: *Melius enim fuerat, vos non nasci, quam Diaboli patrocinio velle regnare. Scitis enim, quia si hoc feceritis & talibus consilijs acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quosunque potuero, a vestra fidelitate revocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans aeterno anathemate condemnabo.* Pro fidelitate, quam vobis servo, gemebundus scribo, Regnum enim, quod DEUS dat, firmum habet fundamentum; quod verò per injustitiam & rapinas acquiritur, caducum est, & cito deciduum. Hæc Fulco apud (a) Flodoardum. Fuit is nobilitate, pietate, ac doctrinâ insignis, & inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina censeri potest. Si ergo is credidit, ob Religionem in discrimen adductam, ac fœdus cum gentilibus initum, quorum societate periclitari, pervertique Imperium posset, Regiâ dignitate exui Regem debere, idque in potestate Archi-Episcopi Rhemensis esse; quanto magis hanc ipsam potestatem Romano Pontifici tribueret, cujus custodiæ ac curæ omnes Ecclesiæ committuntur? Nec Fulco tam præsidenter & omnium suorum Coepiscoporum nomine hæc scriberet, nisi ei constaret, hanc aliorum Galliæ Episcoporum mentem & sententiam esse.

XV. Anno MCLXXIX. Celebratum est Concilium Lateranense Oecumenicum, cui quàm plurimi Galliæ Episcopi interfuere, in quo cap. ultimo in Dominos, qui certum prædonum genus foverent, hæc pœna indicitur: *Relaxatos se noverint à debito fidelitatis, & hominij ac totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint.* Agnoverunt ergo Patres, & inter illos Galliæ Præsules, posse à Summo Pontifice (nam huic Synodo Alexander III. præsidebat,) non solum spiritualibus pœnis, quæ plerumque à sceleratis contemnuntur, sed etiam temporalibus delinquentes puniri.

XVI. Anno MCCXVI. Magnum & Oecumenicum Lateranense Concilium convenit, quo nullum frequentius, ac pluribus Infulis celebre, quippe cui adfuerunt, Urspergensis, Stadenſis & Parisiensibus, (b) Episcopi 42. Archi-Episcopi 70. Prælati alij supra

B b b b

800. Pa-

(a) Flodoard. hist. Rhem. l. 4. c. 5. (b) V. Raynald. ad ann. 1215.

800. Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Legati Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum. Imperatorum Orientis & Occidentis, Regumque Hierosolymorum, Angliæ, Galliæ, (Philippi Augusti) Arragoniæ, Hungariæ, Cypri, aliorumque Principum Oratores, præsedirque Innocentius III. In hoc verò Concilio, quod meritò Conventum totius Orbis Christiani vocaveris, cap. 3. ita statutum est: *Si verò Dominus temporalis requisitus vel monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica seditione, per Metropolitanum & ceteros Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam. En tibi totius Orbis Christiani sententiam! Cui tantum abest Gallos obsistere, ut porius & ipsi, magna quippe illius Concilij portio, sua vota contulerint. In eodem Concilio Dominium Tholosanum Comiti Monfortio donatum, exuto Raymundo, quoddam Albigenes bello adjuvisset. Verba Concilij sunt: (a) *Sacro consilio Concilio ita duximus providendum, ut Raymundus Tholosanus Comes ab ejus Dominio, quod utique grave gessit, perpetuo sit exclusus. Probavitque tota Gallia, & ipse Philippus Rex, quando præstandi Juramenti causâ (nam supremum Tholosæ Regi Innocentius reservaverat) ad se venientem summâ gratulatione plausuque exceptit. Alia ergo tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ sententiâ fuit, quàm nupera Conventus Parisiensis.**

XVII. Anno MCCXLV. Innocentius IV. Friderici Imperatoris arma, quibus totâ Italiâ grassabatur, veritus, in Galliam fecerit, & Lugduni Concilium indicit, ubi Pontificio apparatu, cultuque insignis, facèsque cum ingenti aliorum Episcoporum agmine manu quatiens, & mox terræ obversas extinguens, diras solemnibus in Fridericum pronuntiat, privâtque Imperio, ac Principibus, ut alium eligant, mandat; & illi nec mora obsecuti, Henricum Thuringiæ Ducem Imperatorem pronuntiant. Sententiâ in Fridericum prolata hæc fuit: *Nos super præmissis, & quàm pluribus alijs ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cum JESU Christi vices licet immeriti in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum, quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit &*

(a) V. Lucam Dachet. T. 7. spic. & Rayn. ad ann. 1214. n. 19. & anno 1215. n. 25.

in Cælis: Memoratum Principem omni honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus, & denuntiamus, & nihilominus sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes, auctoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel intendant.

Ludovicus Maimburgus libro II. des Croisades ad ann. 1245. fol. 116. cum sententiam Innocentij recitasset, hæc subdit: En me me temp les Eueques, qui tenoient des cierges allumez, approuvent & confirment la sentence, & en les eteignant prononcent l'anatheme contre lui. Hoc est: Eodem momento Pontificis sententiam Episcopi confirmarunt, ratamque habuerunt, extinguisque, quas manu gestabant facibus, anathema Friderico dixerunt. De hoc eodem Concilio Æmilii & Spondanus hæc habent: Nisi S. Ludovicus Rex Francorum huic Concilio dignitatem, roburque prestisset, turbasset illud armis Fridericus. Habes hic iterum Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, non utcunque, sed in ipsa Gallia, plenèque Concilio expressam, & cui muniendæ Episcopi vota, Rex potentiam suam commodarunt: nec habuit Maimburgus, quid huic Concilio opponeret, quamvis alioquin nec timido ingenio, nec parco exceptionum. Jam tecum expende, quæ sit eorum fiducia, qui audent nobis Ecclesiam Gallicanam opponere, cum nullibi plura aut fortiora exempla, quam in Gallia pro nobis obvenerint. Et si nihil aliud, quam Concilij Lugdunensis auctoritas esset, qui rogo sunt illi, qui non dico præferri, sed vel comparari possint cum tam magno, tam sancto, celebrique Confessu, totaque Galliâ tantâ veneratione culto?

XVIII. Anno MCCCVII. Interfecto Alberto Imperatore Philippus Pulcher Galliæ Rex in Senatu maturè agitatâ solemnem ad Clementem V. Pontificem, qui tunc in Gallijs morabatur, Legationem decernit, sibi que Imperium, aut Carolo fratri depoleit. Inter alias rationes permovendo Pontifici hanc Legati produxerunt, videl: Cui enim, inquit, fiat injuria, si vacantis Imperij conditio permuetur? idem fecerunt olim Pontifices alij. Sed Clemens nimiam Philippi potentiam verebatur, si Regno Imperium conjungeret; spatium ergo deliberando petit, & interim clam missis nuntijs Henricum Luzenburgensem promoveri ab Electoribus curat. Vide Conradum Vecerium, (a) Bzovium, & Æmilium,

Bbbb 2

alió-

(a) Conr. Vecer. l. de gest. Henr. VII. Bzov. ad ann. 1307. Æmil. in Phil. Pulch.

alióque. Agnovit ergo Rex Gallia, Regiúsque Senatus, posse Imperia à Pontifice transferri, alioquin cur peterent, quæ fieri non possunt? idque ab alijs retrò Pontificibus factum esse professi sunt.

XIX. Anno MCCCCXIV. Inchoatum est Constantiense Concilium, cui interfuere Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, Cardinales viginti novem, Archiepiscopi septem & quadraginta, Episcopi centum sexaginta (alij 270.) Prælati & Doctores sexaginta quatuor supra quingentos; taceo promiscuum vulgus, quod ad mille sexaginta pervenisse dicitur. Cæterum in hoc Concilio præcipuas fuisse Gallorum partes & Galli fatentur, Maimburgus præsertim, (a) in magno Schismate Occidentis: & res ipsa loquitur, cum nemo ignoret, quid Univerſitas Parisiensis, ejúsque Cancellarius Joannes Gerson in Concilio præstiterint, à cujus doctrina, calamóque, velut pacis Oraculo Patres pendebant, cui meritò illud Eliæ applices elogium: (b) *Et surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Episcopi Conventús Parisiensis propositione secundâ dicunt: *Decreta Concilij Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ac totius Ecclesie usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana Religione perpetuè esse custodita.* At verò nullum Concilium magis, pluribusque exemplis hanc ipsam Pontificis in Reges potestatem ostendit, deciditque, ut ad eò & secum ipsis pugnent, qui Concilium Constantiense miris laudibus extollunt, simulque ab ejus doctrina discedunt; & cum Ecclesia Gallicana, quæ in Concilio sedit, in Concilio dixit, & quam tamen Maimburgus non audit, imò eodem tempore impugnat, laudatque. Concilium ergo Constantiense *Sessione 20.* Friderico Austriae Duci, *in virtute sanctæ Obedientia, & sub pena privationis omnium bonorum Feudalium, quæ ab Ecclesia vel Imperio obtinet, & inhabilitationis suæ, & filiorum suorum ad obtinendum tam feuda, quam officia & Beneficia, & honoris ac fame, & communionis in consilijs Principum mandata, ne jura & bona Episcopatus Tridentini invadat.* Et *Sess. 31.* in monitorio contra Comitem virtutum: *Et si prædictas penas interdicti & excommunicationis dictus Fridericus animis sustinuerit induratis, ad omnes alias penas spirituales & temporales procedere valeant.* Et *Sessione 39.* *Si quis in electione metum, vel impressionem aut violentiam intulerit, cujusvisque status vel præminentia fuerit, etiamsi Regali aut Imperiali præfulgeat dignitate, illas penas ipso facto incurrit.*

(a) Maimb. Grand. Schism. d' Occid. præsertim. l. 3. (b) Eccles. c. 48.

quæ in Constitutione Bonifacii VIII, quæ incipit, *Felicitis*, continentur. *Eæ* verd sunt, ut sit infamis, bannitus, intestabilis, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur: demur cuncta ipsius ædificia in ruinam, nullus ei debita reddere teneatur, & alia, quæ habentur in c. 5. de pen. in 6. Et in Bulla Martini Sess. ult. idem Pontifex sacro approbante Concilio: (a) Volamus, inquit, ac statuimus, ut omnes & singulos hereticos, etiamsi Regali, Regiali, aut aliâ quavis Ecclesiasticâ vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostrâ diligenter inquirere studeatis, & per penas excommunicationis, nec non privationis dignitatum, ac etiam bonorum, & dignitatum secularium puniri faciatis, &c. Similia habentur in Constitutione Carolina auctoritate Concilij edita (ut habetur Sess. 19.) quam reperies post acta Concilij, præsertim verò in §. item eadem auctoritate, & §. item dicta Synodus. Habes hic iterum illius Synodi sententiam, quàm Patres Conventus Parisiensis tam impensè dilaudant, quam sanctam & immotam, sempèrque in Gallijs custoditam ac cultam pronuntiant, & cuius decretis Pontificiam potestatem alligatam volunt: & tamen hæc ipsa est, quæ Regibus imperat, quæ Coronis minatur, quæ honores, dignitates, testamenta delinquentibus adimit, quæque omnem potestatem temporalem fidei rebellem compescit, exarmatque. Quid aliud volunt, & quæ alia superest probandi necessitas post tam clarum, evidensque testimonium? Galli erant, qui in hac Synodo sedebant, Galli, qui vota conferebant, Galli, qui primas acies ducebant, Galli denique, qui nullum finem faciunt hujus Synodi laudandæ. Ergo quia sententia, doctrinæque hujus Synodi abscedunt, qualis Maimburgus, eisque similes, nec Galli dici merentur, nec Gallicanæ Ecclesiæ sensus imbuti sunt.

Maimburgus, ut auctoritate & exemplo Concilij se liberet, in libro (b) de magno Schismate Occidentis, dicit: *Concilium rem ausum esse, quæ nullo pacto susineri, excusarique possit, quæq; Principum supremæ Dignitati planè adverteur, nullumque exemplum in quatuor primis Concilijs habeat: & privilegium infallibilitatis à D E O Concilij datum, ad sola fidei dogmata, non ad Regna & Principum dignitates pertinere. Errare ergo Concilium in hac parte potuisse, imò errasse. Hæc Maimburgus, quæ ego verbatim ex Gallico transtuli, ut inconstans hujus auctoris, an- tepsque ingenium videas, & in omnem partem versatile, ut Re-*

Bbbb 3 gibus

(a) V. etiam Sess. 15. & 17. (b) Maimb. grand Schism. d' Occid. l. 6. f. 370.

gibus blandiatur. Concilium Constantiense, ubi contra Pontifices statuere aliquid videbatur, ad Coelum extollit, nec ejus laudandi finem ullum aut exitum reperit. Ubi verò pro Pontifice aliquid & contra Reges decernit, continuò errat Concilium, fallitur Concilium, limites suos & alveum egreditur, non excusari, non sustineri potest. Quis hic non videat, calamum & ingenium Maimburgi non veritati, quæ & una, eadèmq; est, sed adulationi dicarum esse, in personas & obsequium intentæ? Quis verò ferat privatum hunc hominem, nec optimo metallo fufum, tam Sacro Senatui, & ex flore totius Europæ, Galliæque præsertim collecto insultantem, quasi is ea decreverit, *quæ nullo pacto sustineri excusarique possint*, minisquæ quàm Maimburgus suæ potestatis limites ac Principum jura cognoverit? Enim verò nimium hic auctor sibi blanditur, si tam Sancto Concilio, & Patribus tantâ virtute ac doctrinâ insignibus non dico se tantum exæquet, sed etiam præponat. Ubi etiam observes, eos, qui tot encomijs Concilia exornant, ac etiam Pontifici præferunt, non ed spectare, ut Concilij subdantur, sed solum ut istorum obtentu, quæ tardissime & raro conveniunt, parata interim Pontificis Imperia deludant, eodèmq; artificio Concilij imponant, si aliquando convenierint. Dicunt enim, aut in ijs, quæ ad fidem non pertinent, errare posse, aut non esse recepta, aut non esse universalia, saltem non constare, aut mille alia, quæ nunquam desunt quærentibus. Ergo obtentu Concilij anarchia & libertas paratur, nullis legibus, nulli Magistratui, nulli obsequio devincta, solâ gubernante voluptate. Sed rem ipsam quod attinet, nolo cum Maimburgo de singulis, quæ objectat, contendere, ea enim aut principium petunt, aut alibi soluta sunt, & infrædibunt. Id solum dico, non jam verti quæstionem, an falli aut non falli Concilium possit? sed quæ in hoc argumento Ecclesiæ Gallicanæ sententia fuerit? eam verò sensisse, etiam Regna & Principatus Pontificum potestati subiacere, testimonio, exemploque Constantiensis Concilij demonstravimus. Cum enim hoc Concilium tam severas pœnas Principibus diceret, cum dignitatibus, imò Regnis exueret, an Galli Concilio non assidebant? annon primas illi partes agebant? an sua quoque vota non illi conferebant? num Patribus ea decernentibus aut

Gertson,

Gerson, aut Universitatis Parisiensis Legati, aut Gallorum alius obliuctatus est? siue ergo Concilium erraverit, siue expers erroris fuerit, Gallorum ea doctrina & sensus fuit. Erratque Maimburgus, aliisque in errorem inducit, cum jactat, sententiam, quam nos tuemur, Ecclesie Gallicane adversam esse; qui enim adversa, quam Ecclesia Gallicana, & precipui illius Doctores in Concilio Oecumenico tam enixe, exemplisque repetitis professi est? An ergo ea solum erit Maimburgo Ecclesia Gallicana, quae Regibus adularur: quae non adularur, non erit? at Ecclesiam non adulatio, sed veritas facit. Et verò neminem credo tam fore imprudentem, qui non malit cum Concilijs Oecumenicis, quam Maimburgo sentire; si enim errare illa, fallique possunt, & aliter quam veritas permittit, scripturas explicare, quanto magis Maimburgus, eique similes? nam & minus periculum, & major errori venia, in ambiguo, incertoque plures, gnarosque viarum elegisse, quos sequaris; quippe & peritissimis potius medicis valetudinem nostram, & versatissimis Gubernatoribus navigationem committimus, quam Unguentario nuper Scholas egresso, & nauclero, marium, ventorumque & stellarum, quae spectari solent, ignaro. At, inquit Maimburgus, *antiqua Concilia, & Papa spiritualibus poenis contenti, temporalibus abstinebant, nec legimus, in Coronas & Regna servasse.* Resp. Pessima semper fuit à negativis argumentatio; quam enim multa hodie, & salubriter fiunt, olim insueta? Olim nulla Antipodum, Americae, Magnetis, & mille medicinarum notitia & usus, quae modò & passim abundant: an ideò nemo hodie in Americam navigabit, quia olim nulla illuc navigatio? nemo contra febres Chinamchinae sumet, quia olim ignota? produntur & crescunt cum morbis, annisque remedia, & quae multis retrò annis aut noxia, aut occulta, nunc aperta & salubria. In ipsa fide, hoc est, anima nostrae Religionis quam multa aut dubia, aut intra velum subducta, nunc in apricum emersere, semper quidem vera, at non semper patentia. Ipse Maimburgus percurrat illa Privilegia, aut, ut vocant, Ecclesiae Gallicanae libertates, quam multa illic inveniet elapsis retrò temporibus non ignota tantum, sed etiam damnata? non ergo sequitur, ut modò non liceant, quae olim usurpata non sunt, mutatà praesertim hominum, temporumque

con-



conditione. Olim uni aut summum duobus Principibus totus Orbis Oriens, Occidensque parebat, quæ ergo Pontificum imprudentia fuisset, cum ipsi inermes, nudique potentia essent, aggregandi tam potentes, & poenas vibrare, quas nec accipere Principes vellent, nec exequi ipsi possent? Deinde, major olim sacrarum poenarum reverentia & metus erat, ut adeo nec temporalibus uti oporteret. Audi Arcadium Imperatorem, quam modestè, demissèque intentatas ab Innocentio Pontifice censuras sic deprecatus: *Omnino o Pontifex DEI ne quidquam eorum, quæ in Legatos audacter perpetrata sunt, sciente me factum est. Nobis ergo placet Paterna humanitas tua, neque deferas nos expertes mysteriorum Sacrorum. Tunc etiam filiam tuam Eudoxiam, quæ peccaverit, ultus sum, quæ etiam ex his gravissimo morbo correpta seculo decumbit. Ne igitur sapius poenas sumas o Reverendissime Pater: ubi autem erit poenitentia bonum, nisi, qui poeniteat, veniam consequatur? Igitur si nos quidem ex poenitentibus non essemus, merito aditus ad veniam clauderetur.* (a) De Theodosio Imperatore audi S. Ambrosium: (b) *stravit omne, quo utebatur, insigne Regium: desivit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publice agere poenitentiam, neque postea ullus dies fuit, quo non illum doleret errorem. Si ergo Arcadium & Theodosium Principes imitarentur, pari in Sacra & Sacerdotes reverentia, nihil opus temporalibus poenis, sacræ sufficerent; nunc vero ubi parvus aut nullus sacrarum sensus, & solæ dignitates ac Coronæ in pretio & cura sunt, æternorum neglectu; quid aliud superest, quam ut fatali somno abrumpendo (quo plerique tenentur) ea applicentur, quæ cum magis doleant, magis excitant, sanantque; nam si censuris semper pugnatum esset, quando Frederici, Henrici, alijque ad mentem rediissent? Ergo ut præmia, quibus bene meritos Ecclesia muneratur, si sacræ tantum & spiritualia essent, parum animos excitarent, ita & poenæ parum compercerent. Cælum ergo terræ miscendum, & spes, metusque utroque temperanda.*

XX. Anno MCCCXI. Viennæ in Gallijs Concilium Universale celebratum est, aderantque Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ Reges, Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus, Episcopi centum

(a) V. Glyc. anal. p. 4. & Baron. ad ann. 407. (b) S. Ambr. orat. in fun. Theod.

quatuordecim, praesedit Clemens V. natione Gallus, ipsisque Gallis addictissimus, qui que Sedem Pontificiam Avenionem transtulerat, gemente aut indignante Italia. In hoc Concilio nostram sententiam Ecclesia Gallicana iterum professæ est, videlicet: *Ecclesiam Romanam à Græcis Romanum Imperium ad Germanos transtulisse, & ad certos eorum Principes jus & potestatem eligendi Regem ab eadem Ecclesia pervenisse, &c.* Quæ verba sunt ipsius Clementis in Concilio Viennensi, imò ipsius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ maximam hujus sacri Senatûs partem implebat.

XXI. Anno MCCCXXXII. Synodus Basileensis in Salvo Conductu, seu fide publica Legatis Pontificijs (a) data sic loquitur: *Exhortatur omnes & singulos Christi fideles, cujuscunque dignitatis, gradus, aut præminentie existant, spiritualis seu temporalis, etiamsi Regali fulgeant Dignitate, atque in virtute sanctæ obedientie mandat, ut si per eorum dominia, terras, Civitates, territoria, aut alia loca transire contingat, sub pena, sententijs & censuris, tam Constantiensis, quàm hujus sacra Synodi decretis conventis & fulminatis, districte injungendo, quatenus vos & vestrum quemlibet cum vestra Comitiva securos, liberos, & tutos cum rebus vestris ire, stare & redire sine molestia & impedimento permittant, &c.* Pœnæ verò à Concilio Constantiensi (b) decretæ, quarum Basileenses meminerunt, habentur in hæc verba sess. 17. *Quicumque cujuscunque status aut conditionis existat, etiamsi Regalis, euntes vel redeuntes impediverit, aut perturbaverit, sententiam excommunicationis incurrat, & ulterius omni honore & dignitate ipso facto sit privatus.* Episcopi ergo Galliæ, qui magno numero, nec minori auctoritate Concilio tunc aderant, sentiebant, Reges, etiam quod temporalia spectat, Ecclesiasticæ potestati subiacere; quod præsertim argumentum contra Maimburgum (c) valet, qui decreta Basileensis Concilij valida, & ab Eugenio confirmata esse omni studio contendit.

XXII. Anno MDLXIII. In Synodo Oecumenica Tridentina Sessione 25. (d) cui Galliæ Episcopi & præsertim Cardinalis Lotharingicus intererant, omnium approbatione & consensu duella & monomachia prohibita, ijsque hæc pœna apposita: *Qui pugnam in duello commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiae penam incurrant, & ut*

Cccc homi-

(a) Concil. Basl. in Congreg. Gener. anno 1432. habetur in append. epistol. Conc. ap. Binium. T. 4. Concil. (b) Concil. Constant. Sess. 17. (c) Maimburg. Traité dell'eglise de Rome c. 25. (d) Concil. Trid. Sess. 25. c. 19.

*homicida juxta sacros Canones puniri debeant.* De hoc & alijs decretis eadem Sessione editis hæc habet Pallavicinus: (a) *De his, quæ proposita sunt, mirus fuit consensus.* Agnoverunt ergo, probâruntque hanc nostram sententiam Galliæ Antistites (nam Oratores ob alias causas Concilio abscesserant) quorum in Concilio magna & spectata auctoritas, Lotharingi præsertim, quem ut instar Collegæ haberent, rerumque omnium conscium, suis Legatis Pontifex imperaverat. *Nei obstat*, non fuisse Concilium Tridentinum in Gallijs receptum, id enim ob alias causas contigit, quæ à Pallavicino (b) memorantur, ejusque receptio non à Galliæ Episcopis (de quorum sententia disputamus) sed ab Optimatibus Regni, & Regina præsertim pendebat, rationibus Politicis absterita, & præsertim ne Calvinistas tunc temporis in Gallia præpotentes offenderet.

XXIII. Anno MDLXXXIX. Duce Guisio, ejusque fratre Cardinali ab Henrico III. occisis, *Facultas Theologica Sorbonæ*, inquit Spondanus ad hunc annum, die 7. Januarij congregata, post publicam supplicationem omnium Ordinum dicte facultatis, & Missam de Spiritu S. celebratam audita omnium & Singulorum Magistrorum, qui ad septuaginta convenerant, maturâ, accuratâ & liberâ deliberatione, & multis ac varijs rationibus, quæ magna ex parte sacris scripturis, canonicis Sanctionibus, & Decretis Pontificum in medium proposita fuere, conclusum est à Decano nemine refragante per modum consilij ad liberandam Conscientiam, populum solutum esse à juramento fidelitatis & obedientiæ Henrico præstito. Seniores tamen Theologi ipseque adeo Decanus, qui tunc erat Joannes Faber, censuit, ut res integra ad Pontificem remitteretur; qui Decretum illud uti temerarium valdè improbavit. Hactenus Spondanus. Vides ergo quæ tunc temporis fuerit Sorbonæ sententia, posse vid. Reges abdicari: & quamvis temerarium fuerit, id propriâ auctoritate aggressam esse, temeritatem tamen correxit, adornatâ ad Sixtum V. quatuor Optimatum Legatione, qui id ipsum à Pontifice peterent. Hunc verò censuisse, omnino Pontifices id posse, quamvis hac potestate uti tunc noluerit; certissimum est, quippe qui primo Pontificatus sui anno, videlicet MDLXXXV. Henricum Navarræ Regem, ejusque fratrem, Principem Condeum, omni Regio jure, ac Principali Dignitate spoliavit, ut videre est apud (c) Spondanum. Sed

(a) Pallavic. in hist. Concilij Trid. l. 24. c. 7. n. 2. (b) V. Pallav. cit. c. 10. & 11. (c) Spondanus ad ann. 1585.

Sed & ipsi Sorbonicæ Facultatis Decanus & Seniores hanc ipsam potestatem professi sunt, quando vid. censuerunt rem totam Pontifici remittendam. Imò totius Sorbonicæ facultatis hæc sententia fuit, missa ad Pontificem celebri Legatione, quâ, ut dixi, Regem exauctorari perebant.

XXIV. Anno denique MDCXV. Clerus Gallicanus in publicis & Universalibus Regni Comitibus hanc nostram sententiam egregie & clarissime professus est, cum etiam Clerus novam quandam legem abrogari peteret tertio Ordini (qui ex Magistratibus subalternis, minorique populo constat) proficuum: Continuo, inquit Gramondus, (a) ubi id tertij Ordinis Oratoribus constitit, rati, ut res erat, peti Ordinem suum, statim proponunt thesin toties Clero obstrepente agitantam; nullam videlicet esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unquam immediate DEO debitam Coronam à Gallis Regibus &c. Nota ea verba; obstrepente Clero; iis enim significatur, propositionem Parisijs editam, & nuper à Maimburgo ex professo defensam, à populo ultimoque Ordine receptam quidem jactatamque, sed obstrepente semper & adversante Clero; sicque sententiam dici posse plebis, non Ecclesiæ Gallicanæ. Pergit postea idem Gramondus dicere: Clerum perorante doctissimo Perronio probasse, potestati Romana Sedis in Reges hereticæ labe infectos, Regumque Sceptra, subscripsisse, quotquot ante Calvinum Theologia tractavere. Contrariam opinionem novam esse, Luthero & Calvino auctoribus natam, cui veteram nemo subscripsit, recentiorum pauci; hunc errorem primum fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in heresim; apertam rebellionem sonare in solium Petri; si Reges Galliæ fautores heresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario DEI, ad quem ex lege pertineat perjurij pena. In eam sententiam exactis seculis itum, tunc & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis, contrariam sententiam tanquam dogma politicum defendi posse ad summum &c. Et infra, eum Senatores Parlamenti in eandem sententiam cum tertio Ordine conspirassent, placitumque vulgassent, vid: Pro lege Politica, Regni que fundamentalis habendum esse, quod Rex Gallie nullum alium in temporalibus superiorem agnoscat; exsauduit, inquit, Clerus, non eas esse Parlamenti partes; Comitibus Generalibus convocatis Regum omne Jus translatum in ipsa, ad eum velut justitio indico cessare

Cccc 2 fare

(a) Gramond. Regij Consist. Senat. & inParlam. Tholos. Præfcs l. x. hist. ad annum 1635. fol. 60.

sare debeat omnis Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eandem sententiam, nec ideo contrariam opinionem valere, quia ita populus censet; duorum vota & calculos uni prevalere. Audis hic iterum duos Galliae Ordines, Clerum videlicet & Nobilitatem, pro nostra sententia esse, populum & Parlamentum adversari; & idem cum supra Perronius dixerat: *Exactis seculis in nostram sententiam itum, iri & hodie possum toto Orbe Catholico, si Galliam demis; id solum significavit, toto Orbe Catholico sententiam nostram teneri, in sola Gallia Populum, Parlamenta, & reliquum vulgus Politicorum contra opinari, Clero tamen & Nobilitate nostram sententiam complexo, hos enim duos Ordines, ut vidimus, clarè excipit, quod etiam ex ipso patet, quæ postea subjungit, certarum videl. esse de Tridentino Concilio Galliae inferendo: Eleganter & doctè perorante Perronio; sed prevaluit Clero Populus: creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri, & populi, factà quasi compensatione, nempe si Clerus tertij Ordinis articulum admitteret, negantem Summo Pontifici jus esse in Regna. (a) Ergo propositio, quæ Pontifici hanc potestatem in Regna adimebat, populi & politicorum: quæ assererat, Cleri erat; maluitque Clerus, non recipi Tridentinum, quàm populo contra Pontificem assentiri; permittebat tamen, utramque Propositionem problematicè defendi, unam, quia veram, alteram, quia Senatùs, populi que aurà subnixam, ut idem Gramondus (b) testatur. Habemus hic iterum testimonium omni exceptione majus, & Ecclesie Gallicane luculentam professionem, quæ mentem suam ante paucos annos non solum declaravit, sed etiam contra Senatùs, populùmque egregiè tutata est. Nec habuit Maimburgus, quid opponeret, nisi, (c) Perronium Cardinalem suo, privatoque nomine, non Cleri locutum in Comitibus esse. Cæterum quis non videt, sine omni fundamento hæc dici, solòque studio impugnandæ ac premiendæ veritatis, nullâ historię aut notitiæ, aut curâ. Demus solius Perronij hanc mentem fuisse, an æquum non erat, eum potiùs, quàm Maimburgum audire? quis enim Maimburgus, ut non dicam præferri, sed componi cum Perronio debeat, auctoritate, eloquentiâ, doctrinâ scriptisque præcipuo? Sed nec Perronium ex sua tantùm, sed ro-*

(a) Gramond. l. cit. (b) Gramond. cit. f. 67. (c) Maimb. Traité de l'eglise de Rome ch. 30. f. 416.

ritus Cleri sententia locutum esse, clarius est, quàm ut ab aliquo dubitari possit. Gramondus enim illis verbis: *Clerus perorante Perronio: & infra: Excanduit Clerus: Et, Clerum & nobilitatem in eandem sententiam convenire: & pauld post: Creditam tunc potuisse conciliari opinionem Cleri & Populi, nempe si Clerus articulum tertij ordinis admitteret, &c.* Plus satis demonstrat, voces quidem unius Perronij, sed mentem ac sententiam totius Cleri fuisse; quod etiam ipse Perronius professus est, quando in ea Oratione, quæ actis Gallicanæ Ecclesiæ inserta, se non suo tantum, sed totius Ecclesiastici & Nobilium Ordinis nomine loqui testatur; ejus verba (a) sunt: *Considerez, que ce non est point moy, que vous ecoutez; car ce non est point moy, qui parle en cette cause, mais tout le corps de l'Ordre Ecclesiastique, & tout celui de la Noblesse &c.* Hoc est: *Nec verò in animum vestrum inducite, me eum esse, quem vos loquentem auditis, & cujus voces excipitis: mihi credite, non ego in hac causa loquor, sed Clerus & Nobilitas tota &c.* Et verò oportuit Perronium mente ac pudore omni destitutum esse, si in publicis Comitij, & ubi tot testibus redargui, vincique poterat, ea diceret, & nobilitati, Cleroque tribueret, quæ sciret, non solum injussu, sed etiam contra utriusque sententiam à se proferri. Quis rogo tantum Maimburgi testimonio tribuat, ut hoc credat de Perronio Cardinali? & quid Gramondo facias, & Gallo, & Parlamenti Tholosæ Præsidi, resque suorum temporum scribenti, qui toties, ut supra vidimus, non Perronij tantum, sed Cleri hanc fuisse mentem profitetur? Vidimus in hoc toto exemplorum, annorumque decursu, semper Ecclesiæ Gallicanæ hanc sedisse opinionem, ut crederent, in certis casibus Regna Pontifici subjacere: nunc Scriptorum nomina recitabo, qui aut Galli fuere, aut in Gallia celebres, eandemque sententiam amplexi sunt, & quia eorum verba in Regali Sacerdotio recensita sunt, aut aliàs nota, ijs supersedebo. Ji ergo sunt, inter alios quàm plurimos, sequentes.

XXV. S. Thomas 2. 2. q. 12. a. 2. in corp. & ib. ad 1. & 2. 2. q. 69. a. 6. ad 3. & in 2. d. 44. q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinth. c. 11. lect. 2. & in epist. ad Philipp. circa fin. & opusc. 20. de Regim. Princip. l. 3. c. 10. & cap. 17. Negant tamen aliqui, hoc Opusculum esse S. Thomæ. S. Bonaventura, l. de Eccl. Hierarch. p. 2. c. 1. T. 7. operum. Et in 4. d. 37. Joannes Gerson Cancellarius Univer-

CCCC 3 sitatis

(a) Ex Actis Cleri Gallic. T. 5.

fitatis Parisiensis p. 4. *serm. de pace & unit. Græcor. consid. 5.* Petrus Blefensis ep. 146. S. Petrus Cluniacensis l. 6. ep. 28. S. Bernardus l. 1. de consider. c. 6. & l. 4. c. 3. S. Augustinus Triumphus, Sanctorum Thomæ & Bonaventuræ Parisijs discipulus q. 1. de potest. Eccles. p. 1. a. 7. & l. Alexander Alensis Parisijs Theologiæ Lector, & SS. Thomæ & Bonaventuræ Magister p. 3. Summa q. 48. membro 1. a. 3. Henricus Gandavensis Doctor Sorbonicus quodl. 6. q. 23. Umbertus ex Diocesi Viennensi *serm. 70.* Petrus Paludanus in 3. sent. d. 40. q. 2. concl. 4. Franciscus Mayronus in Schola Parisiensis Doctor insignis in 4. d. 19. q. 4. Durandus Episcopus Meldens. in tract. de orig. Jurisd. Eccles. q. 3. Joannes de Parisijs c. 14. Jacobus Almainus Doctor Parisiensis tract. de potest. Eccles. c. 9. & q. 2. c. 5. ad c. 8. Occami. Joannes Major Doctor Parisiensis in 4. d. 24. ad 4. Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis in spec. Jur. tit. de Legat. §. 6. n. 17. Joannes Monachus de suppl. negligent. Pralat. n. 4. Joannes Selva tract. de benefic. p. 3. q. 8. n. 31. Stephanus Ansermus in Senatu Tholosano Præses tract. de potest. Eccl. n. 32. Joannes Faber in Senatu Parisiensis causarum Patronus in l. 1. c. de summa trim. n. 10. Petrus Gregorius Tholosanus in varijs Gallia Academijs Professor de Rep. l. 26. c. 5. Fulco Archiepiscopus Rhemensis in ep. ad Carolum simplicem Gallia Regem apud Flodoardum l. 4. c. 5. Perronius Cardinalis apud Gramondum l. 1. hist. ad ann. 1615.

XXVI. Ex allegatis hæcenus testimonijs multa colligere licet, quæ hic breviter observabo. I. Falli Maimburgum, (falli dico, malo enim erroris eum, quàm doli postulare) cum in ultimo Tractatu (a) de Ecclesia Romana sententiam hanc nostram illis tantùm attribuit, qui citra alpes morantur. Ergo ex sententia Maimburgi Patres Conciliorum, Lugdunensis, Viennensis, & Ordinis Ecclesiastici in Comitijs Parisiensibus, quæ Gramondus describit, Gerson etiam, Fulco, Petrus Blefensis, alijsque præcipui in Gallia scriptores Cisalpini erant; nec advertit Maimburgus, hujusmodi hyperbolicis locutionibus, & aded à vero abludentibus id solum agi, ut historiam suam totam, etiam ubi vera recitat, suspitioni exponat, dubiamque reddat; quis enim credat inexplorata narranti, ubi tantâ in rebus obvijs certisque fiducia impingit. Si quis seriò, enixèque contenderet, nullos passeres in Europa

(a) Maimb. Traité hist. de l'eglise c. 26. f. 367.

topa videri, crederes tu illi, Pegasus ex India, Gryphesque memoranti? II. In nulla Orbis parte plura exempla exercitæ in Reges potestatis, quàm in Gallia reperiri, & exempla non unius tantum, aut alterius, sed omnium ferè Gallia Ordinum, Pontificum videl: Regum, Imperatorum, Synodorum Comitiorumque Gallicanae Ecclesiae; quos omnes, imò si ex illis unicum Maimburgo, eique similibus opponas, sufficere toti huic agmini fundendo, delendoque; qui enim illi, ut vel unius Thomæ, Bonaventuræ, aut Bernardi auctoritatem, vultumque sustineant, quantò minus integræ unius Synodi, imò plurium Synodorum? III. Et illi ipsi, qui hanc nostram sententiam calamo, aut exemplo illustrarunt, tantà doctrinà & sanctitate florere, ut apicem in utroque contigerint, nec dici, imò nec cogitari potest, illos aut partium adulatione, aut saltu, aut Scripturarum ignorantia deceptos esse, corruptosve; ij sunt S. Gregorius M. S. Zacharias, S. Leo Pontifices: S. Thomas, S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Antonius, S. Petrus Cluniacensis, S. Augustinus Triumphus, Innocentius III. Gerson, alijque. Jam peto ex Maimburgo, ut sententiæ nostræ tot Sanctis munitæ vel unum pro sua opponat: quòd si nullum habet, ut plane non habet, neque enim aliquem allegat, dicat rogo quid causæ sit, ut nullus Sanctorum ei sententiæ subscripserit, nostræ verd quàm plures? an istis fortè doctrina, aut modestia, aut animi moderatio, aut aliquid eorum defuit, quod persuadendæ veritati faciat? aut fortè non Bonaventura, non Thomas, non Gregorius, non Bernardus, non Patres Lateranensis, Viennensis, & Lugdunensis Conciliorum, Scripturæ Patrumque mentem & sensa intellexere? quòd si nihil horum dici potest, quæ causa Maimburgo fuit, & sacris addicto, & Pontifici jurato, eam sententiam deserendi, impugnandique, quam omnes Societatis suæ Doctores tot editis libris professi sunt, quæque tot habuit munimenta veritatis? Nam quòd ait: *Omnes primitivæ Ecclesie Patres, quique ante quintum seculum scripserunt, pro sua opinione stare, & istos merito præhabendos esse recentioribus;* id unum est ex solitis Maimburgi (a) argumentis, magno strepitu nihil præstantis: nimirum Concilia Oecumenica, Thomas, Bonaventura, Gregorius Magnus, alijque Ecclesiae, Patrumque

(a) Maimb. de l'egl. de Rome chap. 28. circa fol. 392,



que sensum ignorabant; & illi, quos ipse citat, in genere tantum loquuntur, videl: *Obediendum esse Principibus, etiam Paganis, hæreticis, & ut loquitur Apostolus, dyabolis, eosque soli DEO subiacere.* Quæ omnia generalia & verissima sunt, quis enim negat, Persarum Regi quamvis impio, veræque Religionis experti teneri subditos etiam Christianos obedire, eumque etiam eorum, quæ impie agit, nemini præter Deum obnoxium esse? idem de alijs Regibus dicas. Hæc inquam in genere prolata verissima sunt; nemo verò eorum Patrum, quos recitat Maimburgus, negant: *Posse Reges in aliquo casu, & cum Ecclesiam, fidemque persequuntur, exarmari, Regnoque exui, & subditi iuramento solvi.* De hoc solo quaestio vertitur, nec hoc inficiantur Patres, imò ex principijs (a) Maimburgi inficiari non poterant, qui hanc potestatem Reges destituendi, quam nos Pontifici, ipse statibus & Comitibus Generalibus toties concedit. Ex adverso Concilia & Patres, quos pro nostra sententia produximus, hanc quaestionem, de qua modò contendimus, in particulari & individuo proponunt, an videlicet possint in certo, raroque casu Pontifices Romani imperia Regibus adimere? deciduntque, posse. Quis verò nescit, duos testes, qui in particulari deponunt, centum prævalere, qui in genere tantum? & dispositionem legis particularem & specificam centum Regulis generalibus præferri? nam si quis Theologus, aut Juris-Consultus ex generalibus illis præceptis: *Non esse jurandum, & neminem cum alterius injuria fieri debere locupletiorum;* inferret, in nullo casu particulari, ne in Judicio quidem, & jubente Magistratu jurandum esse, nec præscriptionem, quâ quis cum alterius damno ditescit, permissam, is meritò se omnibus ridendum proponeret. Et ideo toties in Jure Romano, Sacrisque Canonibus illæ regulæ repetuntur: *Generi per species derogatur: in generali concessio non censetur comprehensa, quæ speciali notâ indigent, &c.* Nihil ergo probant generales illæ Patrum locutiones, multoque minus Patribus derogant à nobis productis, & de hoc ipso casu particulari loquentibus, quem nos præ manibus habemus. IV. Sed & illud nimis præfidenter, inconsultèque à Maimburgo (b) dictum, videl: *Ecclesiam Gallicanam, omnesque Gallia Doctores, sententiam,*

(a) Maimb. hist. Iconocl. l. 2. f. 257. & l. 4. sapius. Et Traité de l'Egl. de Rome ch. 29. circa finem. (b) Maimb. Tr. de l'Egl. de Rome ch. 26. f. 365.

quam Reges Pontifici iustribuit, semper pronoxia, plenaque discriminis & seditionis habuisse. Crediderim hic Maimburgo excidisse, quid aut de quibus loquatur, si enim de Concilijs Oecumenicis in Gallia celebratis, totque alijs sacris Doctoribus loqui se cogitaret, qui nostram sententiam exemplis, calamoque tradidere, auderent illis seditionis notam, publicaque inquietis attribuere? Seditiosum ergo Concilium Lugdunense, seditiosum Viennense? Seditiosi Leo, Gregorius, Zacharias, alijque tot sancti Pontifices? Et quæ tandem est illa Ecclesia Gallicana, quæ toties vanèque gloriatur? num illa Pontificibus, Episcopis, Synodisque & Doctoribus Gallicanæ constat? & si constat, cur nullos pro se Maimburgus producit? si nullis constat, oportet ergo Ecclesiam Gallicanam Idæam quandam Platonicam esse, solo nomine insignem, reique expertem. Quod si mihi pro Ecclesia Gallicana Conventum Parisiensem, & aliquos ex Sorbona Doctores objiciant, continuè illud Cœlestini Pontificis (a) reponam: *Desinat incessere vetustatem novitas.* Suspecta est mihi Ecclesia Gallicana nova, recensque, & antiquæ opposita. Ubi Synodos habetis, quas Viennensi, Lugdunensi, Lateranensi ac Constantiensi æquare possitis? ubi Doctores nostris Bonaventuræ, Thomæ, Antonino pares? malo cum Bernardo, Fulcone, Gersono, Zacharia sentire, quam cum Maimburgo, & Conventu Parisiensi paucorum Prælatorum, & in quo spes metusque præsedat: Comitiam totius Orbis præpono in Gallijs habita, à Gallis culta, & tunc solùm à Gallis impugnata, cum plus aulæ, quam Ecclesiæ delatum. Sed illud quis non videat? Maimburgum, qui Patres sexti, septimique & octavi seculi à nobis productos, tanquam novos, recensque natos repellit, nunc velle, ut ijs fidem habeamus, qui decimo sexto seculo Parisijs convenère? istos nimirum mille annis recentiores pro antiquis habet, illos pro novis. V. Denique nec tantùm exemplis, decretisque Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam ex Maimburgi principijs veritas Conclusionis nostræ deduci potest. Is enim in historia Iconoclastarum, in libro de Imperij declinatione, & in Tractatu historico de Ecclesia Romana, communi Procerum, statuumque consensu Imperium Francicum in Pipinum & Hugonem Capetum, Romanum Italicumque in Carolum

Dddd Mag-

(a) Cœlest. PP. ad Episc. Gall.

Magnum translata esse docet, civiumque Romanorum auctoritate tributa Copronymo Imper. negata, Urbemque à Græco ad Francos defecisse, (a) idque in libro de Imperij declinatione ex singulari *DEI providentia Regnum Gallicum protegens, & Pipinum excitantis evenisse dicit.* Et in libro de Ecclesia Rom. *Quod populus, Senatusque tributa Copronymo negaverint, imploraverintque tutelam externi Principis, juri naturalis defensionis adscribit.* Hæc Maimburgi doctrina si vera est, sequitur ergo dari casum, in quo status & Comitia abdicare Regem aliquem possint, quemadmodum Childebertum, Copronymum, Constantinum, & Carolum Lotharingæ Ducem abdicarunt, Capeto Coronæ admoto; & negari haud potest, hanc esse ex majoribus causis, cum in illis de Regnis, bellisque agatur, totque alijs damnis, quæ hujusmodi mutationes consequuntur. Si ergo dubitari contingat, an is casus evenerit, adsintque circumstantiæ, quæ subditos Juramento liberent, ad quem pertinebit hunc casum decidere, qui ex majoribus est, & causam juramenti cognoscere, quæ omnino spiritualis est, nisi ad Summum Pontificem, cui causæ majores reservantur? idque Ecclesia Gallicana cognovit, quando teste Maimburgo Zachariam consuluit, liceretne ipsis Childeberto Pipinum sufficere? si ergo definiat, licere, imò necessarium esse, poterunt subditi, ac etiam tenebuntur huic sententiæ declarationi deferre. Sive ergo Pontifex juramento subditos solvat, sive declarat solutos esse, perinde idem effectus consequetur, subditis æquè obsequio liberis, quemadmodum cum Pontifex declaravit, matrimonium Henrici IV. cum Margaretha Valesia irritum, cassumque fuisse, perinde ad novas nuptias libertatem est nactus, coactusque primas illas abrumperet, ac si Pontifex non irritum tantum declarasset, sed etiam fecisset. Eadem ergo vis Pontifici, seu declaranti, seu statuenti: hanc frustra impugnant, coacti illam cedere. Quid enim interest intrare volenti, si januam unam claudas, alterâ patiente? In quamcunque partem ergo se vertant, frustra laborant, seque ipsos implicant, vincente veritate. Et hæc de mente, sententiæque Ecclesiæ Gallicanæ: restat, ut quæ Maimburgus objicit solvantur, quanquam jam dudum & millies soluta, argumentis videlicet exoletis, marcidisque, & tories à Lutero, Calvino, Illyricoque (quem Maimburgus à secretis habuit) declamatis. § III.

(a) La decad. de l'Emp. l. i. f. 7. Tr. hist. de l'Egl. de Rome c. 29.



§ III.

Solvuntur, quæ contra Pontificis indirectam in Regna potestatem Maimburgus, alijque objectant.

SUMMARIA.

1. Indirectam Pontificis in Reges potestatem, nec Gallicana Ecclesie, nec publico bono adversam esse, exemplis docetur.

2. Nec exemplo Christi adversari.

3. Nec Textibus SS. Scripturæ. Matth. 20. Marc. 10. Lucæ 22. Roman. 13. 1. Petri 2.

4. Falli Maimburgum, asserentem subditos ab Obedientia Principibus debita exsolvi non posse.

5. Eandem potestatem Theologicè ex SS. Litteris deduci.

6. Neque improbari à S. Bernardo.

7. Neque ab alijs SS. Patribus, aut antiquis Pontificibus.



I.

**N**on est mihi animus, singula persequi, quæ in ultimo Tractatu de Ecclesia Romana Maimburgus Pontificiæ potestati objectat, tam enim multa, aut extra lineam quæstionis, aut nihil probantia congerit, ut pigeat jam cadentia movere, irritoque labore papilionis istos pro-

prosequi, infestos quidem, sed innoxios fiori. Illa tantum seligimus, quæ fallere incautos possint colore veritatis.

*Opposit I.* Antiquorum Patrum & Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem; sed quàm id immeritò, nullòque fundamento, jam in priori Paragrapho evidenter ostendimus.

*Opposit II.* Ecclesiam Gallicanam, omnésque Galliæ Doctores existimasse, sententiam, quæ Pontifici Romano potestatem in Reges concedit, periculi damni que plenam esse, & publicæ tranquillitati adversam. (a)

*Resp.* Quæ fuerit Ecclesiæ Gallicanæ, Galliæque Doctorum sententia, & quàm malâ fide ejus auctoritatem jactet Maimburgus, jam supra ostendimus: quòd verò hanc nostram doctrinam periculi, damni que plenam dicat, & publicæ quieti adversam; id more suo jactat, non probat Maimburgus. Sed nos evidentibus argumentis contrarium ostendemus. I. Certum est, Ecclesiæ Gallicanæ florem Concilijs Lugdunensi, Viennensi, Constantiensi, & Basileensi adfuisse, & tamen in his ipsis Concilijs sententia hæc nostra non probata solum & admissa est, sed magnis exemplis exercita, ut supra ostensum: quis ergo non miretur, audere Maimburgum tam insignem, clarâque falsitatem Parisijs vendere, Regique offerre, nescias, majori suo, an Principis ludibrio? & quæ rogo in sacrosancta Concilia Maimburgi reverentia, quæ ut Pontifici Romano præferat, in cælos usque alibi extollit, nunc verò cum eorum Decretis se premi videt, ea docuisse dicit: *Quæ periculi, damni que plena sint, & publicæ quieti adversentur.* Ergo Concilia jam sunt Sacrosancta, jam seditiosa, utcunque Maimburgo placuerit. Nos verò qui sacra & Oecumenica Concilia eodem semper, parique tenore veneramus, nec tam in illis Senatuum præcipuâ pietate ac doctrinâ florentem, quàm æternam veritatem Concilijs præsentem adoramus, id potius dicimus, doctrinam in Concilijs expressam, exercitâque, non perniciosam, non seditiosam esse, sed amoris, pacis que plenam, Religioni, fidei que conservandæ necessariam, quæque Ecclesiam Gallicanam, & præcipuos illius Doctores decuit.

*II.* Ipse Maimburgus, cum hanc ipsam potestatem destituendi Reges Comitibus & Statibus Generalibus tribuit, tantum abest, ut seditiosam,

(a) Maimb. de l' Egl. de Rome ch. 26. circa fin. b. d. d. m. i. a. (c)

ditiosam, noxiãque dicat, ut potius *ex jure naturali, singularique Dei providentia* fluxisse velit, & eos, qui legitimis Regibus à Senatu substituti fuerunt, non perduelles, non Tyrannos vocat, sed à DEO *singulari bonitate excitator*: sic loquitur, (a) cum de Pipino, Carolo Magno, & Hugone Capeto sermonem facit; non ergo abdicatio Regum, in certis casibus peracta, talis est, qualem Maimburgus describit, hoc est, seditiosa, turbarumque Civilium causa; alioquin non à DEO, non à natura proveniret, sed potius contra naturæ, Deique institutum: imò conservandis Regnis sæpè necessaria, nam & Franciæ Regnum, nisi Pipinus succollasset Childerico susceptus, ruinam minabatur. Quæ tamen ita dicta velim, non ut Maimburgi sententiam probem, hanc potestatem eliminandi Reges in populum, Senatùmque conferentis: sed ut probem, vel ex ipso Maimburgi testimonio, potestatem abdicandi Reges, sinitè peragatur, & à legitima potestate, nec seditiosam esse, nec publicæ quieti noxiã, imò sæpè proficuum. Quod exemplis jamjam ostendam. III. Franciæ Regnum ignaviã Regum eò devenerat, ut Saracenorum incurso, bellisque Civilibus jam ferè concideret, & quod magis gemendum, hæresis Arriana in vchi Romam parabat, suissetque Longobardo ad portas strepente; sed Pipinus Zachariæ & Stephani jussu Imperio admotus, pristinæ majestati Galliam restituit, Longobardos submovit, Græcos cælo terræque infestos, quique in Vicarium Christi toties vicarios armaverant, Italiã exiit, Romanam Ecclesiam hætenus inopem, solâque Religione tutam, & idèò injuriæ expositam ingentibus Provincijs auxit, fecitque metuendam duplici terrore septam, majestatis & Religionis: ac denique collabentem Religionem ipse sinu excepit, sustentavitque, & quod omnia superat, Carolum Magnum successorem reliquit, quo nullum præstantius Ecclesiæ & Orbi beneficium. Hæc omnia & ingentia utique bona cessassent, nisi Zachariæ Pontificis jussu Pipinus Coronam accepisset, non Saraceni expulsi, non Monarchia vindicata, non Saxones ad veram fidem provesti, Idolis abdicatis, non Græcus domitus, non Longobardus excisus, & Ecclesia Catholica nunquam tot naufragijs erepta. Hæc omnia Zachariæ debemus coronas transferenti.

Dddd 3 ferenti.

(a) Maimb. la decad. l. 1. f. 7. & Tr. hist. de l'Egl. de Romcc. 29.

ferenti Gregorij VII. contra Henricum IV. Imperatorem, & Investituras certamen nemo ignorat; & is quidem nimia severitatis & inclementiæ à multis notatus est: sed DEUS æquè multis prodigijs ejus innocentiam absolvit, quæ Leo Ostiensis, (a) & Bertholdus Constantiensis enarrant, & evenus ostendit, luctas Gregorij insigniter Ecclesiæ profuisse, dignasque omnino, quæ tam grandi conatu agitentur; quamvis enim Gregorius in acie ceciderit, nec victoriæ supersuerit, ejus tamen exemplo successores Pontifices, Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. & Calixtus II. inhæsere; & hic tandem, indicto Romæ Concilio, quingentorum annorum bellum absolvit, libertatem electionibus reddidit, præsertim Pontificijs & Episcopalibus; & investituras quoad spiritualia sustulit, Henrico in gratiam sinumque recepto, sicque finis impositus tot illis & ingentibus malis, quæ dignitates consequantur Principum voto, imperioque collatas, & fundamenta jacta altissimæ illius pacis, quæ modò Sacerdotium Imperio conjungit. Et cui tanti operis laus, nisi Gregorio? hoc enim cessante nec bellum cum Principibus, nec victoriæ fuisset, non Investitura abolita; non libertas electionibus reddita, Pontificum præsertim, ex quo uno quanta in Ecclesiam mala profluxerint, quanta rerum omnium confusio, dici haud potest. Bellum ergo Gregorij pax Ecclesiæ fuit. Idem de Gregorio V. dicas, (b) (aut si quis alius Pontifex fuit, nam aliquem ex Pontificibus fuisse testimonio Concilij Viennensis, ipsorumque Electorum constat) qui jus eligendi Imperatorem in Collegium Principum Germaniæ transtulit, à quo tempore illa bella civilia, discordiæque cessarunt Imperio fatales, ob ambitionem Candidatorum, ferro flammæque pro Corona, velut eridis pomo certantium. Evolve historiam profanam ad Ludovicum usque Imperatorem, & Caroli M. filium, in venies, Imperium gravissimis bellis conflictatum, ac ferè deletum esse ob studia ambientium Coronam. Ludovicum ipsum Pipinus, Lotharius & Ludovicus filij, quòd Carolo Judithæ filio favere videretur, bello appetunt, ac throno movent, (c) & Lotharium Imperatorem dicunt: nec aliàs funestius bellum Patre, filijs que

(a) Leo Off. l. 7. c. 53. Berthold. Constant. in append. ad Herm. (b) V. Reg. Sacerd. f. 166. (c) Anno 833.

que pro Imperio decernentibus. Ludovico Lotharius successit, (a) exarsitque inter fratres bellum Civile imperandi cupidine, nec prius cessatum, quam collatis signis concurrerent, gemente Francia, & civili discordia propè confecta. Idem Carolo Calvo infortunium, (b) nunc cum Lothario fratre, nunc cum Ludovico nepote, armis implicito, jam victore, jam victo. Carolus Crassus Imperio à suis exutus, (c) & Arnulphus suffectus, quo tempore multi simul Tyranni Coronam invaserant, videlicet, Berengarius, Wido, Odo Parisiensis, & Rodolphus Conradi filius: adeoque omnium bellandi cupido invaserat, ut etiam Episcopi & Abbates armati in acie viserentur, pronumque est cogitare, quæ tum facies & perturbatio Occidentis fuerit, tot bellis, cædibus ac discordijs agitati; duravitque ad Ottones usque. Quæ sub Henricis & Fridericis, & quàm multa infauste contigerint, notiora sunt, quàm memorari debeant; quæ omnia aut omninò, aut majori ex parte sublata sunt translato ad Principes Septemviros, auctoritate Romani Pontificis, Jure eligendi. Patet ergo, hanc potestatem, quam Pontifici in Imperia tribuimus, non discordiæ, non seditioni, sed paci servire. Quod si aliquando contrarium evenit, non potestatis, non Pontificis culpa, sed eorum fuit, qui remedia obstinate respuebant, peracerba illa quidem, sed tamen salubria pertinacibus morbis; quàm multi sub medentis manu ferròque labuntur? an idem artem potius, quàm morbum accuses? Sed nunquam magis, ut in Henrici Magni conversione hujus Pontificiæ potestatis necessitas juxta & utilitas apparuit. Mortuo Francisco Duce Alenfonio Henrici III. fratre, Regisque sterili matrimonio, proximus Regij sanguinis sequebatur Henricus Borbonius, Navarræ Rex, sed Calvino addictus; hunc & fratrem ejus Principem Condœum Sixtus V. Pontifex Maximus inhabiles Regno declarat, excluditque. Henrico Rege per sicarium & infidias cæso pleræque Galliæ Civitates ab Henrico Borbonio, quem ob hæresin averfabantur, abstractæ, foedus cum externis Principibus istum, diræ à Gregorio XIV. repetitæ, immisissique exercitus, effusique thesauri, quos Sixtus condiderat, ne hæresis cum Borbonio Principe thronum conscenderet; & hic quidem virtute ac

(a) Anno 841. (b) Anno 858. & 876. (c) Anno 888.

forti-



fortitudine militari, & plerumque victor, diu torrentem sustinuit. Sed cum Clemens VIII. potestatem Regem eligendi foederatis dedisset, & isti Comitria Lutetiae agerent, multi que Europae Principum hunc Galliae florem rapturi viderentur, praeventit Henricus, seque Catholicum, cum potiri aliam Regno haud posset, palam professus est; quod ubi constitit, tota in eum Gallia confluit, exterique pulsi, & Regnum pace compositum. Henricum ergo, ut Catholicus esset, Pontifices evicere; si enim thronum conscendisset haeres imbutus, quis dubiter, majorem Galliae partem exemplo Regis corruptam fore? Filij vero, nepotesque ex Henrico nati, Ludovici videlicet, XIII. & XIV. eandem pestem Throno intulissent; quis enim credat, aliam eos Religionem, quam Patris, Avique, & in qua nati, educatique essent, amplexuros? Perpetuum ergo hoc malum Galliae fuisset, & Religioni fatale, plerisque, ut fieri amat, aut metu, aut adulatione Regem imitantibus. Quod ergo Henricus Magnus haeres exemptus, quod Gallia hac peste intacta, quod Ludovicum regnantem non Catholicum tantum, sed ardore veritatis avitaeque Religionis Constantino ac Theodosio parem habeamus, haeres toto Regno ejecta, devictaque; Vobis post Deum, Romani Pontifices Sixte, Gregori, Clemens, vestraeque potestati debemus, qua opportunè usi percussistis, secuistis, ac tandem sanastis. Ingemuit quidem Gallia, altumque indoluit, recenti adhuc plagâ, & multum sanguinis micante; nunc sana vigensque ferrum illud, manumque curatricem amplectitur, alioquin, si medicus parceret, peritura; nunc valet, quia secta. At, inquit, infinita calamitates Regna & Imperium affluxere, cum Reges à Pontificibus Romanis abdicarentur, ut in Henricis, Fridericis, & Anglia Regibus observatum est: salus ergo esset, huius potestate aut carere, aut non uti Pontifices. Resp. Nulla est in rebus humanis aut ars, aut status, aut conditio tam perfecta & absoluta, quae non multis magnisque incommodis misceatur, & ob quae si tollenda illa essent, tolli omnes artes, potestates, ac statuum conditiones oporteret, idque omnibus his incommodis multo pejus foret. Ex Regia potestate quot injuriae, ex arte navigandi quot naufragia, ex scientia militari quot caedes, artesque nocendi? ex matrimonijs quot adulteria, litésque domesticae, & partus Republicae noxij? an ideo Regia potestas, matrimonia, artesque abolen-

abolendæ? at multo id peius, ac pluribus obnoxium malis, sub-  
 latis videlicet humanis commercijs, datâque injurijs, vagisq[ue]  
 amoribus licentiâ. Idem dicas de potestate Reges abdicandi:  
 fateor bella, discordias comitari; at quanto pejora, si eos hæresin  
 profiteri, matrimonia solvere; Ecclesias depilare ferres; idque im-  
 punè, nullòq[ue] freno & exemplo, quòd pro Imperio esse solet in  
 subditos manante? quanta rerum omnium, morumq[ue] corruptio  
 sequeretur? Deinde videndum est, an ea incommoda, quæ nobis  
 adversarij objectant, ex usu Pontificiæ potestatis, an verò ex eo-  
 rum vitio proveniant, qui emendari nolunt, provocantq[ue] extre-  
 ma remedia: dolorem enim irrogati supplicij cujus culpæ adscri-  
 bes, reo, an Judici? flagitio, an legi? Henricus Bolænam amat,  
 fastiditq[ue] Uxorem, & thalamo ejicit, ducitq[ue] amicam publicam  
 publico ritu. Europa tam turpi exemplo attonita, hæretq[ue] cui  
 primas lachrymas spargat, triumphanti unius libidini, an alterius  
 oppressæ innocentie. Pontifex Romanus rogat, minatur, terrè-  
 que, & longas inducias pœnitentiæ donat, ac tandem obstinatum,  
 & ludibria flagitijs jungentem sacris interdicit: hic amore & ira-  
 cundiâ flagrans Romæ bellum denuntiat, seque jugo subducit.  
*O incautum*, inquit, *Pontificem*, *qui Angliam perdidit intempestivâ severi-  
 tate*. Sed cur non potius exclamant: *O inconsultum Regem*, *qui animam,  
 Regnūq[ue] posthabuit insano amoris*. nulla enim necessitas fuit adulterio  
 sedari, sed maxima adulterium punire: hoc Pontifex fecit, illud  
 Henricus. Cur ergo malis defectionis culpam illi adscribere, qui  
 scelus justè & necessitate punivit, quàm illi, qui impiè & voluntate  
 commisit? alioquin omne flagitium impunè fuerit, si sufficiat  
 meriti defectionis terrere puniturum. Et ideò tanquam plena con-  
 stantiæ & libertatis celebratur apud Joannem Saresberiensem illa  
 Alexandri III. vox, quando Regijs Legatis minantibus, nisi Tho-  
 mam Archiepiscopum abdicaret, Regem ad Mahometis Religio-  
 nem defecturum, intrepidè respondit: (a) *Potest Rex eligere viam  
 pravam, ego tamen non recedam à via recta*. Et illa Divi Thomæ Archi-  
 Episcopi & Martyris Cantuariensis, cum scriberet ad Ecclesiæ  
 Romanæ Cardinales: (b) *Non simulatione, non ingenio regenda est Ecce-  
 lesia, sed justitiâ & veritate, qua se observantem liberat ab omni periculo*. Non  
 nega-

(a) Joân. Saresb. ep. 66. inter epist. S. Th. Cant. (b) Inter epist. S. Th. epist. 46.

negaverim tamen, hujusmodi interdicta, censuras, & præsertim Regnorum mutationes parcissimè adhibendas, nec alijs morbis, quàm desperatis, nam nec membra truncamus, nisi medicinis assumptis; quod etiam eleganter Concilium Tridentinum (a) præmonuit: videlicet, *Excommunicationis gladium sobriè, magnæque circumspèctione exerendum, cum experientia doceat, si temerè aut levibus ex causis mutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius asserre, quàm salutem.* Cujus exemplum illustre apud eundem D. Thomam Cantuariensem, qui Regem Angliæ excommunicatione percussurus Sueffionem ad D. Virginem peregrè profectus est, triduumque in ea preces insumpsit, ut videl. vibrando sacro fulmini Deum haberet directorem, (b) néve aliquid humani affectûs, aut vindictæ tam sacro operi misceretur.

II. Oponitur III. (c) *Christus, inquit Maimburgus, non Herodem Regno, non Pilatum Prætorio expulsi, quamvis impios, injustosque, imò utriusque ac præsertim Cæsari se subjecit, iussitque pro se suoque Vicario tributum persolvi, apertèque professus est, Regnum suum non esse de hoc mundo. Quo ergo jure Romanus Pontifex faciet, quæ Christus non fecit? sibi que potestatem sumet, quàm Christus non sumpsit? Nec enim discipulus est supra Magistrum, nec servus major Domino suo. Et si Christus non Cæsarem, non Herodem Regno interdixit, cur Pontifex Fridericos & Henricos interdicit? an isti Tiberio & Herode pejores? aut major Pontifici, quàm Christo in Reges auctoritas?*

*Resp.* Hoc argumentum adeò infirmum est, ut multis modis impugnari possit; nam I. si exemplo Christi Domini agendum sit, dubitari vix potest, utramque illi dignitatem collatam esse, Sacerdotalem videlicet & Regiam, id enim Angelicus Doctor (d) expressè docet, & saltem id verum est quoad illa, quæ gubernandæ Ecclesiæ, & redemptioni consummandæ necessaria erant, nam ut idem S. Doctor scribit: *Cui committitur principale, committitur & accessorium; omnes verò res humana ordantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna.* Et hæc ipsa videtur expressa sacre Scripturæ sententia, nam *Matth. ult. Data est mihi, inquit Christus, omnis potestas in caelo & in terra.*

(a) Concil. Trid. de Reform. Sess. 25. c. 3. (b) Joan. Saresb. ep. 140. (c) Maimb. Tr. hist. de l'Egl. de Rome ch. 27. f. 367. (d) S. Thom. I. I. de Regim. Princ. c. 12. & seq. & p. 3. q. 59. a. 4.

in terra; & Paulus ad Hebr. *Quem constituit heredem universorum.* Et Apocal. i. *Princeps Regum terra;* & Apocal. 6. *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Et radix hujus Regiæ potestatis videtur fuisse unio hypostatica; communicatâ enim naturæ humanæ formâ Deitatis, communicatæ sunt etiam omnes divinæ proprietates, quarum capax erat natura humana. Quis verò neget, capacem fuisse Imperatoriæ & Regiæ dignitatis? quemadmodum formâ ignis ferro communicatâ omnes juxta ignis proprietates communicatas videmus, adeo ut non ignis solum, sed etiam ferrum luceat, rubescat, caleatque ut ignis; quod si unio ignis ad ferrum, quæ merè accidentalis est, transiensque, omnes ignis proprietates ferro communes facit, quanto magis unio hypostatica, quæ substantialis est, ac æterna, omnes proprietates naturæ Divinæ, & consequenter etiam Regiâ in res temporales potestatem humanitati impresserit? Et hæc ipsâ potestate Christus, quantum vis formam servi præferret, aliquoties usus est, solvendo videl. leges Civiles, & de rebus temporalibus aliorum disponendo; nam adulterij ream, compertamque absolvit, & poenâ legibus præscriptâ exemit. Ficulneam nullâ Domini licentiâ aridam fecit, inutilémque, greges porcorum invitis & gementibus Dominis Dæmonio immisso aquis præfocavit. Quâ rogo hæc potestate, nisi Regiâ, absolutâque, nullisq; legibus obstrictâ? Quæ tamen Regia potestas cum immediatè à Deo esset, & vi unionis hypostaticæ, optimè dixit Christus: *Regnum suum non esse ex hoc mundo,* non negat, Regnum suum esse in hoc mundo, erat enim: sed, *esse ex hoc mundo;* quippe nullo Jure aut titulo humano partum, quo modo hujus mundi Regna quærantur, hoc est, non electione, non successione, non vi armorum, nec donatione paratum, sed immediatè à DEO, & vi unionis hypostaticæ. Negari ergo haud potest, Christum potestate in Reges præditum fuisse. Quæro jam ex Maimburgo, an Christi exemplo Pontificiam Potestatem metiri velit, aut non velit? Si non vult, cur ergo impugnandæ huic potestati Christi exemplum producit, quo eam impugnare, aut non vult, aut non potest? si vult, ergo sequitur exemplo Christi etiam Pontificem Romanum imperare Regibus posse, habuit enim Christus hanc potestatem, ergo etiam, si exemplo Christi uti velis, Pontifex Romanus. *At Christus nunquam Reges deposuit.* Resp. Non hic

Eccc 2 de

de usu, sed potestate quæri, hanc verò Christum habuisse negari haud potest, & si habuit, ergo uti etiam potuit. *Cur verò usus non est?* Quia passurus, quia moriturus venerat, nec vindictæ, aut potentie, sed humilitatis & patientiæ exempla daturus; si eum Herodem & Pilatum Regno ac Præfecturâ pelleret, quando pateretur? quando moreretur? quando genus humanum redimeret? & quis ab illo pati injurias disceret, hostesque amplecti, si in hostes vindicaret? Nec propterea caruit potestate, quia illâ uti noluit: quis enim negat, multis eum scientijs & artibus præditum, quas nunquam exercuit? militari videl: Astrologicâ, Medicâque. Nam & nostri Reges multa possunt, quæ nunquam exercent, indigna videlicet tanto fastigio, aut saltem incommoda. Cur ergo Summi Pontifices exemplo Christi non etiam hæc potestate abstinere, quamvis eam habeant? quia Christus Ecclesiam voluit non armis, non vi, non sapientiâ humanâ, sed humilitate, patientiâ & miraculis institui, ne illa opus humanum, sed cœleste tantum crederetur. At verò semel institutam, humanis medijs ac industriâ propagari; nam & corpus humanum solus ipse, ac è terra produxit, productum tamen nec solus, nec è terra multiplicat, sed alijs ac naturalibus modis. Et quis agricolam aut vinitorem non rideret, qui segetem virêsque non cultâ, non aratâ terrâ, nec sparsis seminibus, aut palmitè palis adstricto speraret, quia Deus ex nihilo produxit? non ergo sequitur eodem modo, quo plantata est, conservari Ecclesiam debere, & ea quæ à Christo, etiam à Pontifice omitti debere. Alioquin nec mitras Episcopis, nec sericum, nec annulum, nec equos, rhedâsque permittes, quia Christus nihil istorum usurpavit. Ergo quid Pontifici aut Episcopis liceat, non ex ijs sumendum est, quæ Christus omisit, sed quæ praxis usûsque Ecclesiæ obtinuit; præsertim causis, statûque rerum mutatis: alioquin si exemplo Christi nec adulteria punias, nec calumnias refellas, nec contra injurias militem scribas, nec latrones castiges, sed potius præmijs dones, quæ facies Ecclesiæ & Reipublicæ fuerit? nullum ergo argumentum deduci potest ex ijs, quæ Christus omisit. Unde patet, Maimburgi argumentationem multis & grandibus vitijs laborare. Promiserat is initio capitis vigesimi septimi: *Se non multis, nec subtilibus argumentis usurum, sed citra omnem disputationem ea tantum*

produciatur, quæ magni instar splendoris se ipsa ostentent, & modò oculos habeas, cerni ab omnibus possint. Quis non expectaret post tam magnificè promissa insignem aliquam, invictamque Demonstrationem? & tamen ex suppositis non tantùm non certis, aut saltem dubijs, sed evidenter falsis procedit. Supponit enim, Christum ut hominem nec potestatem in temporalibus Regiam habuisse, nec eam usum; cum tamen non testimonio tantùm Angelici Doctoris, sed omnium ferè Theologorum contrarium constet, saltem si de potestate indirecta loquamur, quatenus illa gubernandæ Ecclesiæ serviebat, eamque aliquoties exercuit, rarò tamen, quia videlicet non idèd in mundum venerat, ut exempla regnandi, imperandique daret ( id enim sponte suâ natura facit, nec exemplis urgenda est) sed potius obsequendi, ferendique ad versa. Deinde adducto Christi exemplo Pontificem omni in Reges potestate Maimburgus privat: at si exemplo Christi utamur, contrarium omninò sequitur; hanc enim potestatem Christus habuit, ergo & Papa, si istum ex Maimburgi sententia metiri velis. Supponit denique, omnia, quæ Christus fecit, omisitque Redemptionis peragendæ, & Ecclesiæ constituendæ causâ, fieri quòque, omittique à Pontificibus debere, etiam peractâ redemptione, Ecclesiâque institutâ; quod perinde est, ac si dicas, constructo jam, absolutoque ædificio Patrem familiâs, qui ædes inhabitat, iisdem instrumentis, operis, fabrisque indigere, quibus Architectus, dum ædes construeret. En egregiam Maimburgi demonstrationem, ferro & adamantem contextam, si promissa spectes; si facta, vitream, fragilèmq; & vix dignam relatu. II. Multò minùs aliquid probat, quod adjungit; videl: *Fuisse Christum pro se & Petro tributum solvi; Petrum ergo subiectum Casari voluit: si subiectus, qui ergo Casari imperabit? qui Regno deponet?* Resp. Christus non ex debito, sed spontaneâ voluntate tributum solvit, ut apertè ex illis verbis constat: (a) *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi Jesus, ergo liberi sum filij: ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me & te, &c.* Non ergo Christus & Petrus tenebantur tributum solvere ( sicut nec filij & familia Regum) liberi ergo erant; quæ verò est mirabilis

Eccc 3 hæc

(a) Matth. c. 27, v. 25,

hæc consequentia Maimburgi: *Christus & Petrus liberi à tributo erant, ergo subijciebantur Casari?* cum potius contrarium deduci oporteret, videl: *Ergo non subijciebantur Casari.* Sed Maimburgus nec Religionij habuit, sententiam Evangelij truncare, & ea verba subtrahere, quæ rem totam declarabant, nec consequens inferre præmissis contrarium, perinde ac si diceret: *Solutet, ergo nox est.* Quod si concedamus, etiam Pontifices Romanos subiectos Casari fuisse, quoad ea, quæ res temporales, civilesque spectant, non idem sequitur, non posse in certis circumstantijs, & quando agitur de Ecclesia conservanda, Casares, Regesque deponere: nunquid enim Galli, Romanique, qui Pipinum & Hugonem, ac Carolum Magnum Imperio donarunt, legitimis Regibus subiacebant? & illis tamen ex sententia Maimburgi Regna abrogarunt. Deinde cum Pontifex Romanus declarat, subditos Principi hæretico, aut Ecclesiam persequenti juramento non amplius obstringi, cessat ea subiectio, & consequenter obligatio obsequendi. Sed & jus naturale defendendæ Religionis, & tot animas perituras, multo est antiquius, fortiusque jure subiectionis erga Principes Seculares; cessat ergo subiectio periclitante Religione. Ac denique potestas indirecta Pontificis Rom. in Principes, Regesque temporales, est verè Spirituales & Ecclesiastica, quippe gubernandæ Ecclesiæ, servandæque Religionis data, & Pontificio Characteri innexa; non ergo quoad hujus exercitium Imperatori Pontifex subiectus dici potest. Quemadmodum bona Ecclesiasticorum, quantumvis temporalia, quia tamen Ecclesiæ serviunt, nec quoad Dominium, nec quoad usum Principibus secularibus subiecta esse possunt. Nihil ergo probat Maimburgi argumentum.

III. *Opponitur IV.* Christus apud Matthæum (a) prohibet Apostolos omni dominatione illis verbis: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos; vos autem non sic.*

*Resp.* Hunc quoque Scripturæ locum Catholicis obijciunt Calvinistæ, ex quorum libris omnia ferè argumenta sua exseripsit Maimburgus, labori ut credo parcens, aut meliorum inopiâ. Contendebant Apostoli, quis in eorum Collegio Primatum obtineret & dabat.

(a) Matthæi c. 20. Marci 10. Lucæ 22, Maimb. cit. c. 27. f. 367.

dabaturque anam importunæ æmulationi duorum Piscatorum supplicatio, primas Sedes in Regno Christi experientium, mare interpellante. Christus, ut primas scintillas extinguat gliscantis ambitionis, monet illos officij ac professionis Apostolicæ, nec enim Regnum suum alijs Regnis simile esse, nec apparatu niti, pompaque seculari, nec Apostolos, eorumque Successores ad dominandum, imperandumque & regendam Rempublicam vocari, sed ad pascendas animas, prædicandum Evangelium, corrigenda hominum flagitia, evertendam Idololatriam, exercendasque omne genus virtutes, humilitatis præsertim & contemptus caducarum voluptatum. Quæ omnia verissima sunt, & nos quoque, has esse præcipuas partes Romani Pontificis constanter asserimus. Si verò Principes in hæresin labantur, & Religioni & animabus ingentem ac inevitabilem perniciem moliantur, non prohibet Christus, eos à Romanis Pontificibus coerceri, & gladium velut furentibus eripi; id enim cum ex Jure naturalis defensionis, ac officio Pastoralis consequatur, noluit hic Christus exprimere, cum potius comprimenda esset Apostolorum ambitio, quam novis facibus accendenda. Nulla est ergo hæc consequentia: *Status & dignitas Pontificia ac Apostolica ad gubernandam Ecclesiam, non verò ad dominatum terrestri Republica ordinatur. Ergo nunquam potest Regibus Ecclesiam persequemibus potestatem Regiam adimere, aut Subditos juramento solvere; imò contrarium potius inferri debuit: cum enim causa & cognitio Juramenti, quibus videl: casibus obliget, aut non obliget, sit spiritualis, & temporalis potestas subordinetur potestati spirituali, tanquam medium fini, sitque, spectatâ conditione humanâ, maxima connexio rerum spiritualium cum temporalibus, ac gubernandæ Ecclesiæ sit omninò necessarium Ecclesiæ hostes coercere (quemadmodum eadem est ars militaris, quæ cives munit, repellitque hostes) sequitur, ut concessâ supremâ potestate Spirituali Ecclesiam gubernandi, concedi etiam debuerit potestas Regibus imperandi, eisque, si necessitas & periculum Religionis urgeat, exautorandi, non quidem absoluta & ordinaria, sed subsidiaria & eventualis, atque ut dixi ad casum puræ necessitatis restricta, idque juxta naturalia illa & communia prudentiæ axiomata, atque tories à Sacris Theologis, Jurisque-Consultis* repe-



repetita, vid. (a) *Cuiusque committitur principale, committitur & accessorium; & concessa alicui Jurisdictione conceduntur omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest.*

Opponitur V. Jubent sacræ Scripturæ, ad Romanos 13. (b) *Ut omnia anima (& consequenter etiam Pontifex Romanus) sublimioribus potestibus subiecta sit.* Et apud Matthæum: (c) *Ut reddantur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO: ut obediamus Regibus etiam dyscolis, idque non solum propter iram, (d) sed etiam propter conscientiam.* Acceditque (e) exemplum Ecclesiæ primitivæ, quando vid. flagrante persecutione, & Christianis omnigenere tormentorum, vi dolisque ad cultum Idolorum adactis, nemo tamen contra legitimos Principes arma sumpsit, nemo cum illis de Imperio contendit, seque juramento solutum credidit. Neque id metu tribuas, aut paucitati Christianorum, aut quòd Principe Catholico carerent, quem sequerentur, quique Imperij Principibus bellum inferret. Nam qui poterant illi aut paucitate, aut metu cohiberi, qui non morti tantum, sed etiam pœnis morte acerbioribus tantâ alacritate se offerebant? Illi bellum refugerent pro Religione, qui gladios, ignesque velut delicias amplexabantur? Audi Tertullianum: (f) *Si hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? vestra omnia implevimus, urbes, Insulas, castella, castra ipsa, sola vobis reliquimus: templa; cui bello non idonei, non prompti fuissimus, & non impares copijs, quæ tantum libenter trucidamur? Eodem modo sæviente hæresi Arrianâ, & Neronum ac Deciorum crudelitatem æquante, & quando rerum in Occidente Catholicis potiebantur, sub Imperatoribus Constantio & Valentiniano æquè Catholicis, deerant illis arma, vires Ducisque copiarum, quas Valenti & Constantio opponerent? & tamen quando nec causa, nec vires, Ducisque Catholicis aberant: & tempus vindicandæ Religionis: quis de Imperatoribus dejicientibus, solvendisque subditis juramento cogitavit? non ergo Pontifices Romani id sibi licere credebant; nam si crederent licere, cur non eodem modo illi Decios, Neronos, Constantios, Valentisque,*

quo

(a) S. Thom. 3. p. q. 59. a. 4. & L. fin. ff. de off. ejus, cui mand. jurisd. & l. 2. de jurisd. omn. Jud. & c. præterea de off. Jud. deleg. V. Reg. Sacerd. à fol. 236. (b) Rom. 13. (c) Matth. 22. (d) Et I. Petri 2. (e) Maimb. cit. c. 27. f. 369. (f) Tertul. in apolog. c. 87.

quo nuperi Pontifices Fridericos, Henricosque persequerentur? aderat enim par, imò æquior causa protegendæ Religionis, nec vires minores.

*Resp.* Sententiæ S. Scripturæ quod attinet, generales illæ sunt, nec se ad casum adeò specialem & extraordinarium, de quo nos loquimur, extendunt. Quòd enim Principibus obediendum sit, omnique cultu ac reverentiâ, quamvis dyscoli impijque, profecti, nemo dubitat, nemo negat; imò ipsi Summi Pontifices, cum adhuc quoad temporalia Imperatoribus subderentur, summâ illos reverentiâ observabant, adeò ut Stephanus II. in Epistola (a) ad Pipinum, *se ejus vestigijs advolvi*; Gregorius (b) verò Magnus in Epistola ad Mauritium; *se vermem, pulverem, cineremque* profiterentur; non hic facis reverentiæ & obsequio datum? Cæterum, ut etiam supra notavimus, generales illæ locutiones nihil casui derogant, de quo nos loquimur. Quemadmodum enim generalia illa præcepta: *Ego autem dico Vobis, omnino non jurare: non occides: non furtum facies*, non extenduntur ad casus necessitatis, & naturalis defensionis, ita neque ad casum, de quo agimus; quæ enim major necessitas, aut quæ justior defensio, quam animarum, quam fidei & Religionis? *Cur ergo non etiam antiqui Pontifices hæc potestate usi sunt?* *Resp.* Nullum esse argumentum à negativis, multa enim olim facta non sunt, idque ex certis causis, quæ tamen fieri alioquin potuissent. Nec Decius, nec Diocletianus, nec Titus, nec alij retrò Imperatores Constantinopoli Regiam fixerant, num idè nec Constantinus id potuit? Sic olim Episcopi & Pontifices in commune vivebant, nec distinctis suisque Patrimonijs instructi erant, nec etiam à solo Clero, multòque minùs à solis Canonicis eligebantur; num ergo aliter vivere, eligique non poterant? Fateri ergo oportet, multa olim, quæ fieri poterant, facta non esse. Eodem modo, quòd olim Constantios, Valentes, aliòsque impios persecutores Pontifices tulerint, nec eos diris percusserint, (quod utique poterant, neque Maimburgus negabit.) multòque minùs Imperijs exuerint, dubium non est, ob magnas, gravesque causas fecisse, præsertim pejo- rum metu, & exili, quod temporalia spectat, Pontificum majestate, quòdque nulla spes alluceret imperata exequendi; nam & immensa

Ffff tunc

(a) Steph. II. epist. 4. ad Pipin. (b) Greg. M. epist. 62. ad Mauriti.

tunc erat Imperatorum potestas, aut toto, aut mediâ Orbis parte dominantium, promptisque exercitibus, militiæ ac pugnae paratis; ergo tunc temporis aut non decuit, aut non oportuit, aut non expedit, multoque tutius ferre & expectare, quam hostes & fortiores excire inutili ac noxiâ vindictâ. Alioquin si hoc exemplum antiquitatis aliquid urgeat, quo jure ex sententia Maimburgi Franci Pipino & Capeto, Romani Carolo Imperium detulere, ipsique acceptarunt? si nefas hoc fuit, nunquam pejùs, quàm in Gallia & à Gallis peccatum. Sed & illud huc facit, quòd non olim tantum, sed hoc etiam tempore, quando Summi Pontifices hanc sibi in Reges & Imperia potestatem convenire putant, multos tamen hæreticos Principes tolerant, nullisque eos pœnis nec sacris, nec profanis insectantur, nec subditos Juramento absolvunt, idque aut metu pejorum, aut quia credunt se frustra conaturos, quamvis multi, potentisque Catholici Principes non desint, quorum armis uti possent; nec propterea sequitur, arbitrari modernos Pontifices, se hâc potestate uti non posse; ita non sequitur, & antiquos Pontifices id arbitratos esse, qui ob similes causas censuris, pœnisque abstinabant, non quòd causæ aut potestas, sed quòd tempus abesse, nam navigatio non omni vento opportuna.

IV. *Opponitur VI.* Obedientia, (a) quam subditi Principibus debent, juris divini est, & à DEO imperata, non ergo dispensare, eamque solvere Pontifices possunt, ut sæpe in sacris Canonibus definitum est, docentque illis verbis sacra Scripturæ: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Alioquin auctoritate Pontificum etiam matrimonia laxari possent.

*Resp.* Observabit lector, promississe Maimburgum, se argumentationibus non usurum, & consultò quidem, nihil enim eo infelicius, cum argumentari incipit; cum historiam texit, evolvitque præterita & olim facta, fallit quidem, sed observari nisi ab eruditis non potest, & quibus libri & otium est percurrendi antiqua. Cum verò philosophari incipit, rationesque deponere ex suo contextas, adeò aberrat, ut nemo non noceat, videatque, aut indo-

(a) Maimb. cit. cap. 27. fol. 372. (b) e. sunt quidam 25. q. 1. c. litteras de restitut. Spoliat. c. super eo 4. de usur. S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. & quodl. 4. q. 8. a. 3. vide Reg. Sacerdot. f. 560.

leat tam malè in metam collimanti, appareatque, majorem illum eloquentiæ operam, quam Theologiæ dedisse. Si obedientia Regibus debita juris divini est, quod solvi à nullo & nunquam potest, quis ergo Francos, Romanosque juramento exsolvit, quod Childerico, quod Constantino dixerant? Idque vidente, approbante, imò acceptante Gallia? Quis in juramentis, quis in votis dispensat, quorum obligatio juris utriusque naturalis est, divinique? Sed & principium Mainburgus petit, supponit enim, quod probandum erat, videl. præcepta divina, præsertim positiva pro omni casu obligare, cum contrarium constet, etiam in præceptis negativis; præceptum enim *non occidendi* in certis casibus & circumstantiis non obligat, præsertim in casu defensionis; ita nec præceptum *principibus obediendi*, quando necessitas defendendæ Religionis, quæ multo fortior & antiquior est, urget. Declaratio verò, an ea necessitas urgeat, adsintque circumstantiæ, ob quas juramenti obligatio cesseret, est una ex majoribus causis, & ideo Pontifici reservata, nec privatorum judicio permilla, alioquin nemo non causas fingeret, legitimis Magistratus respuendi, essentque omnia latrocinij ac factionibus plena.

V. *Opponitur VII.* (a) Potestas hæc indirecta, quæ Pontifici Romano tribuitur, nullum habet à sacris litteris patrocinium, ne leve quidem, atque ex tot auctoritatibus, quæ illi opinioni sustinendæ producuntur, nulla à sacris Concilijs, sanctisque Patribus in eum sensum explicatur, qui illis à Bellarmino & Suarezio falsò attribuitur. Illæ verò Evangelicæ sententiæ: *Pasce agnos meos*, & *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*, intelligendæ sunt de sola potestate spiritali, non verò temporali, & sic Patribus intellectæ, explicatæque sunt.

Resp. Scripturas quod attinet, alibi ostensum est, hanc nostram sententiam aperte & Theologicè ex illis deduci, parique ratione, quæ olim SS. Patres per evidentem ac naturalem discursum suas Conclusiones contra hæreticos ex sacris litteris inferebant. Nam I. In veteri testamento Oziam Regem incensa in templo adolentem, & ideo leprâ statim percussum Summus Pontifex Azarias non solum ut templo egrederetur rogavit, sed etiam invicem ejecit:

F f f 2

(a) Mainb. cit. c. 27. f. 373.

ejecit: Cúmque, inquit Scriptura, (a) respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes vidissent lepram in fronte ejus, festinatò expulerunt eum, & habitavit in domo separata plenus leprâ, & filius ejus rexit domum Regis, & judicabat populum terra. Ubi observa, Pontificum munus fuisse, de Principis lepra cognoscere, & ubi infestum reperissent, omniconmércio ac hominum societate excludere, sicque inhabilem Regno pronuntiare, nam Levitici 13. ita statuitur: (b) *Quicumque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium sacerdotum, solus habitabit extra castra.* Sicut ergo Pontifices Aaronici de lepra Principis cognoscebant, eaque infectos templo arcebant, omnique humanâ societate, sicque inhabiles declarabant gubernandæ Republicæ: neque id obstabat reverentiæ Principi debitæ, omnique naturali ac divino jure sancitæ: ita Romani Pontifices de morali Principum lepra sententiam dicunt, id enim ad majores causas pertinet, soli Vicario Christi reservatas, nam & olim solus Pontifex lepram notabat, & hujus jussu Ozias templo excessit. Et sic leprâ correpti omni commercio, congressuque humano arcebantur, & ideò inepti, exclusi que Regno, adeò ut idem esset, pronuntiare leprosum aliquem, & Regno indignum: ita Princeps hæresi corruptus, corrumpensque alios, & propterea Sacris incedit decreto Apostolico (c) hominum commercio & societate excluditur, adeò ut *nec cibum cum illo sumere, nec eum salutare permittatur.* Sic enim habes Epistolâ 2. B. Joannis Apostoli: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Quæ Apostolica prohibitio saltem tunc locum habet, cum est periculum, ne tu vel tui ab hæretico pervertaris (quod pervertionis periculum tunc maximè observatur, cum Princeps aliquis hæresin suam, aliòve errores exemplo, aut etiam armis propâgat?) in quo casu non humano tantum jure, sed etiam divino & naturali sociari hæretico, aut excommunicato non potes; & videri possunt Bedâ, Fabianus, Callixtus, & canones Apostolici à Gratiano (d) citari. Et quamvis necessitas Principibus obsequendi, quâ subditi stringuntur, eosdem excuset, permittatque, ut hæretico, aut excommuni-

(a) 2. Paralipom. c. 26. (b) Levit. 13. v. 44. (c) 1. ad Corinth. 5. & ep. 2. B. Joh. Apost. v. 10. (d) V. causam 11. q. 3. in decreto Gratiani, & can. omnis 24. q. 4.

cato convivant, quis tamen Pontificem prohibeat, ne ex Apostolorum præscripto, regulæque subditos omni consortio & societate cum hæretico Principe interdicit, à quo ipsi vi & exemplis corumpuntur? si enim tanta pernicies ab hæreticis privatae fortis, & idèò vetat Apostolus cum ijs communicare, quantò majus à Principe periculum, quantòque major necessitas eum devitandi? & si lepra Reges deposuit, quæ in corpora tantum serpit, sævitque, quanto magis hæresis animabus ac Religioni funesta? Quòd si nihil Azarias contra reverentiam deliquit Principi suo debitam, quando leprosum abegit, permisitque alium Regem subiectis; cur Pontifex Romanus delinquat, si eodem jure in hæreticum agat? an forsitan major hæretico reverentia, quàm leproso debetur? aut lepra majus hæresi delictum, majorique pœnâ dignum? At, inquit, præcipit DEUS, à leproso Principe, non hæretico secedere: imò multò magis ab hæretico; quæ enim major separatio, quàm non communi eum mensâ aut domo, imò nec salutatione dignari? hæc enim omnia hæreticis & excommunicatione percussis Apostoli vetant, leprosis concessa, nam salutare licebat. Si ergo Pontifex Romanus, Gregorius videl: XIV aut Clemens VIII. Gallis præcipiat; nolite cum Henrico Navarrao adhuc hæresin spirante, & Galliam infecturo, cibum sumere, aut recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis; auderétne Maimburgus dicere, Pontifices præter, imò contra Scripturas agere, cum tamen id ipsum agerent, dicerentque, quod Scriptura, quod Apostoli? Dices, Apostolos non loqui de Principibus, sed de privatis tantum. Resp. Nec in libro Levitici expressè de Principibus à populo separandis, si leprâ tangantur, sermonem esse; & tamen Azarias Pontifex ob paritatem rationis etiam de Regibus intellexit, nec enim minùs periculi à Regis, quàm privati lepra; idem de hæresi dicas, alijsque contagiosis Principum morbis, quorum tantò potentius venenum, nam infinita illis media, artesque pestem dilatandi. Illud quoque circa factum & lepram Ozia memoriam dignum, quod ex SS. Hieronymo, Cyrillo, Origene, & Chrylostomo notat Cornelius & Tirus, videl: Privasse Deum Judæos suis Oraculis, prophetiâ & spiritu usque ad mortem Ozia, quod ejus consortio & presentia contaminarentur, Tanti apud Deum fuit, Regi à Pontifice

ejecto, lepraque foedato sociari. II. Id etiam efficaciter probat locus ille S. Pauli; 1. ad Corinb. 6. praesertim junctâ Patrum interpretatione, sic enim Corinthios recens ad Christum conversos alloquitur: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicatur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia? Videbat Apostolus; periclitari Christianos, eorumque Religionem ludibrio exponi, quando litium finiendarum causâ gentilium commercia, tribunalia, favorémque captabant; & ided vult lites & judicia à Christianis agitari, componique, nec Tribunalia Paganorum quæri: & ne causarentur, se potestate judicandi definitos, ostendit, ijs, quibus causæ spirituales committuntur, multo magis seculares committi: *Nescitis, inquit, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Quasi dicat, interprete in eum locum D. Thomâ: *Qui idoneus est ad majora, multo magis idoneus erit ad minora.* Ex qua Apostoli doctrina hoc judicium causarum secularium postea commissum fuit Presbyteris & Episcopis, ut expressè testantur (a) Clemens PP. Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Synesius, Theodosius & Carolus M. Imperatores; Apostolus tamen non mandat hoc officium causas seculares cognoscendi Episcopo Corinthiorum: *Quia, ut ait Ambrosius, ne dum Rector in eorum Ecclesia erat constitutus; quippe recens ad fidem conversi erant.* Eodemque modo hunc locum intelligunt Anacletus, Gregorius M. Gregorius VII. & S. Bernhardus. Et ne quis dicat, in causis tantum arbitrarijs, & ex partium consensu Episcopos judicasse, audiat verba Theodosij, quæ in decreto habentur: *Etiamsi alia pars refragetur.* Quæ verba necessitatem, non arbitrium sonant. Multo minus dici potest, hanc in causas secularium jurisdictionem ex privilegio Principum, Theodosij vide! & Caroli, non ex jure divino aut naturali Episcopis provenisse; nam nec Apostolus, nec Patres hujus privilegij meminere, imò aliqui eorum ante Theodosij & Caroli*

(a) Clem. PP. II. constit. 49. & seq. Nyssen. in vita Greg. Thaumaturg. Ambros. 2. Offic. c. 29. August. de op. Monach. c. 26. Synes. ep. 57. & 58. Greg. M. 2. p. Pastoral. c. 7. Greg. VII. l. 8. ep. 21. S. Bernhard. de consid. l. I. c. 6. & l. 16. de Episc. jud. Cod. Theod. & in Capitular. Carol. 6. & c. quicunque & seq. II. q. 3.

goli tempora vixerunt : nec fundamentum ex concessione Principum, sed ex ipsa potestatis spiritualis natura sumunt, cui temporalis subordinatur ; id enim ea verba Apostoli significant : *Si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis, qui Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Et illa S. Bernardi: (a) *Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus; si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis?* Et S. Thomæ: *Qui idoneus est ad majora, multo magis idoneus erit ad minora.* Ubi vides hanc potestatem in secularia non in privilegium, & concessionem Principum, sed in ipsam naturam & prærogativam characteris spiritualis ab Apostolo, Sanctisque Patribus referri. Ergo ex hac & superiori Apostolorum sententia argumentari ita licet: quando perversionis, amittendæque Religionis periculum instat, quod evitari aliâ ratione non potest, Apostoli non contenti spiritualibus poenis, etiam de rebus temporalibus disponunt, easque de uno in alium transferunt; dant enim potestatem judiciariam ijs, qui non habent, prohibentque jure hospitatis, humanæque societatis (quæ est Juris gentium, & hominibus ferè optatissima) ergo potestas spiritualis indirectè se extendit ex doctrina Apostolorum etiam ad dispositionem bonorum temporalium, quatenus ista conservandæ animæ ac Religioni deserviunt. Dices, *nihil Apostolus de Regibus exauctorandis dicit.* Resp. Tu qui negas omnem Pontifici in Regna potestatem, ex quo fundamento id negas, nisi quod solam, unicamque in Pontifice agnoscas spirituales potestatem, neque hanc ad temporalia extendi dicas? id enim omnibus ferè paginis Maimburgus sonat: contrarium ex doctrina Apostoli, Patrumque ostendimus. Cadit ergo fundamentum, quo nitebaris, & cum illo opinio tua. Quod si semel extendi ad temporalia potestatem spirituales dicis, idque conservandæ Religionis causâ, cur non ad Regna, cum nulla major, quàm ab hæreticis Regibus, aut Ecclesiam persequentibus pernicies? quod nimium exempla, fideique ruinæ docent. Sed quia Reges Ecclesiâ, Regnoque interdicerent ex causis non majoribus tantum, sed maximis est, ac præfertim arduis, ex ijsque salus aut pernicies Regnorum ac Ecclesiæ pender; ideo solis Summis Pontificibus id hodie permittitur, ut colli-

(a) S. Bernard. de confid. l. 1. c. 6.



colligitur ex c. ne aliqui de privil. in 6. docentque communiter Doctores, (a) & ipse Maimburgus fatetur, causas majores ad tribunal Pontificis pertinere, exemplo Moysi, cui ex consilio Jethro Summae lites submittebantur, reliquæ, minutæque inferioribus commissa. Quia tamen occupatio circa negotia, causasque seculares vehementer animum implet, avocaturque à cura animarum, ideo ordinariè ac extra necessitatem nec Christus (b) implicari ijs voluit, repulsi que de hæreditate interpellantem; & Apostolus prohibuit militantiem DEO implicare se negotijs secularibus; ut placeat DEO quod eleganter D. Gregorius (c) in suo Pastoralis, & Bernhardus in libris de consideratione (d) prosequuntur. III. Huc faciunt verba & promissio Christi ad Petrum: (e) Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, & quod solveris super terram, erit solutum & in caelis. In his verbis ex omnium Catholicorum sensu committitur Petro summa in causis spiritualibus, & animas ligandi, solvendi que potestas. Atqui causæ Juramentorum sunt spirituales, & quousque que ac in quibus casibus obligent, pertinet ad Summum Sacerdotem definire; poterit ergo definire in certo casu non obligare, & si definiat, non obligare in casu, de quo agimus, hæc ejus definitio utpote super causa spirituali, & à supremo Judice facta à nullo alio improbari poterit, evertique. Rursus, si juramenta ac obedientia Regibus præstita in ipsorum subditorum, Regumque perniciem, damnumque animarum vergat, solvi utique ab eo poterunt, cui suprema cura animarum data, eorumque omnium, quæ animabus noxia: alioquin quid proderit, animas solvendas, curandasque committere, non verò eas curandi, solvendi que modos, & finem imperare negatis medijs? id enim perinde fuerit, ac si navigare aliquem juberet subtrahat navi, aut Classicum canere subductis tubis. Imò contrarium in Imperijs, negotijsque humanis exerceri videmus, quantòque magis in divinis, quorum Ordo & efficacia major? Si enim Rex aliquis supremum exercitûs Ducem consti-

(a) V. Silv. v. excommunicatio l. n. 10. Henriq. l. 13. c. 25. Sà v. excommunicatio n. 13. Laym. de Pœnit. c. 10. n. 3. Maimb. Tr. de l' Egl. de Rome fol. 60. (b) Luc. 12. 14. & 2. ad Timoth. 2. v. 4. (c) S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 7. (d) S. Bernh. de confid. l. 1. c. 6. & l. 4. c. 3. V. Reg. Sacerd. f. 102. (e) Matth. 16.

constituat, jubeatque Urbem terrâ marique ab hostibus cinctam  
 obsidione solvere; quis neget hoc ipso summo illi Imperatori  
 commissam potestatem, & fabris imperandi, ut arma expediant,  
 & frumentarijs, ut commeatus comportent, & Classium Præfecto,  
 ut vela faciat; qui si cessent, aut etiam ad hostes deficere parati  
 sint, quis neget, posse illos (quamvis alioquin militiæ Duci non  
 subint) non imperio tantum, sed etiam pœnis urgeri, imò officijs  
 exui, aliòsque imponi, qui victoriam juvent, paratamque defectio-  
 nem morentur? Si ergo potestas solvendi obsidionem tantum au-  
 thoritatis tribuit Duci exercitûs, etiam in eos, qui subditi aliàs  
 non sunt; quantò plus tribuet potestas solvendi peccata, animas-  
 que liberandi Vicario Christi ac capiti Ecclesiæ? *Dices;* illa Mathæi  
 verba intelligenda tantum sunt de potestate spirituali absolvendi  
 peccata, non verò deponendi Reges, subditòsque ab obedientia,  
 quam illis debent, liberandi. *Resp.* Verum id est, si de potestate  
 ordinaria & principali loquamur, quæ Apostolis, eorûmque suc-  
 cessoribus ad animas, non Regna disponenda commissa est: sed ex  
 hac ipsa potestate regendi animas, solvendique peccata, sequitur  
 alia & indirecta potestas, ac pro raro casu, statuendi vid. etiam de  
 temporalibus, quando id necessitas conservandæ Religionis re-  
 quirat, nec aliter vitari peccata, deleri que possunt, quemadmodum  
 potestas gubernandi Urbem includit etiam, saltem pro casu ne-  
 cessitatis, repellendi hostes, comprimendique ac exauctorandi  
 tives perduelles, si domari aliter non possint. De hac tamen pote-  
 state non ità expressè primi Ecclesiæ Patres loquuntur, tum quia  
 includitur in prima, tum quia minùs principalis, & prima Scri-  
 pturæ ac Patribus cura fuit, animas instituere, tum denique quia  
 rarò locum habet. Pater verò, leges non loqui de casibus, qui rarò,  
 sed qui plerûmque contingunt. Et denique in hac controversia  
 event, quod in alijs plerisque, ut videlicet tunc primùm Patres  
 expressè, clarèque loquerentur, cum cœpit agitari, ac in dubium  
 verti. Et planè quis non vider, sub Neronibus & Decijs, aut sub  
 Constantinis & Theodosijs importunè hanc quæstionem motum  
 & explicatum iri, quando aut nulla spes, aut nulla necessitas, aut  
 nullæ vires exequendi: at verò ubi periclitari Religio à Regibus  
 cœpit, viresque ac Principes oblari, qui casuram sustinerent, quod

G g g g

præ-

præsertim à Pipini & Caroli M. temporibus evenit, non omisit Ecclesia potestate suâ uti, eamque Scripturæ testimonijs fulcire, non quidem in alienos à veritate sensus detorquendo (id enim Maimburgus non sine gravi injuria, parique imprudentia Concilij Universalibus, Lugdunensi, Viennensi, duplici Lateranensi, Constantiensi, Tridentinôque affingit, & consequenter Ecclesiæ Gallicæ, quæ magna pars istorum Conciliorum fuit) sed veritatem explicando, in Scripturis quidem, apertisque Scripturæ exemplis contentam, sed à primis Ecclesiæ Patribus non evolutam, tactamque, quippe alieno tempore, & Principibus hoc remedio non egentibus, aut non sanandis. Idque ut dicebam in Ecclesia frequentissimum, tunc videl. scripturas explicari hæcenus inobservatas, decidique quæstiones, cum occasio ferebat, quod multis quidem exemplis Patrûmque testimonijs illustrari posset, sed uno alteroque contentus rem totam absolvam. Primis Ecclesiæ temporibus, cum aut delendis idolis, aut Filio, Sanctoque Spiritui asserendæ divinitati, à Macedonianis, Arrianisque impugnata, Patres laborabant, nulla ferè apud illos mentio, aut si aliqua, levis admodum, incidensque, quòd à Patre, Filioque Spiritus S. procederet; & ipse sacer textus aded nihil de hac Processione expressè videretur statuere, ut potius solius à Patre processionis meminert; & sanè antiqui Patres nullum Scripturæ testimonium producant, quo hanc Processionem confirmet, quippe alijs bellis intenti, nihil pro ea parte curabant, quæ hoste carebat; nec diffiterur Maimburgus, (a) non laborasse Ecclesiam Orientalem huic Processioni examinandæ. At verò ubi impugnari ab hæreticis hæc veritas cepit (qui maximè silentio Scripturæ nitebantur) præsertim à Theodoro, (b) Priscillianistis, Joanne Monacho Hierosolymitano, Theophylacto, Photioque, tunc enim verò certatim ac velut signo dato Concilia, (c) Patresque exciti, & veritati defendendæ calami exerti: in quàm plurimis Synodis Processio à Patre, Filioque decantata, præsertim Toletana prima, tertia, octava & duodecima, Gentiliacensi,

(a) Maimb. de Schisma. Orient. T. I. l. 2. f. 213. (b) Theodoret. in confut. anathem. 9. Cyr. Priscillian. ap. S. Leonem Epist. 93. (c) Concil. Tolet. I. apud Baron. anno 447. Concil. Gentil. ap. Maimb. hist. des Iconocl. l. 3. Concil. Nièen. 2. act. 7. Concil. Forojul. T. 7. Concil. edin. Paris. V. Maimb. cit. de Schisma. Orient.

ensis, Nicena secunda, Foro-Julienſi, Aquisgranenſi, Arelatenſi ſexta, Romana ſub Benedicto VIII. Barenſi in Apulia, Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. ac tandem Florentina ſub Eugenio IV. Tunc etiam in favorem ejuſdem Proceſſionis ſacrarum ſcripturarum ſententiæ expoſitæ: quamvis antiqui Patres nunquam eas in hunc ſenſum explicaverint. Ex illis enim verbis: *Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet. Et: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis;* ita argumentabantur: *Si omnia, quæ habet Pater, dedit filio, ergo etiam filio dedit vim ſpiritualem; ſi Spiritus Sanctus aliquid de Filio accipit, vel aliquid accidentale, vel aliquid ſubſtantiale accipit? non accidentale, quia alioquin Deus non eſſet; ſi aliquid ſubſtantiale, ergo ſecundum ſubſtantiam à Filio procedit. Si Spiritus Sanctus mittitur à Filio, aut mittitur auctoritate & imperio, aut Origine, quomodo arbores dicuntur flores mittere; non auctoritate & imperio (hoc enim ſervitutum ſonans & ſubjectionem, quæ in DEUM non cadit) ergo Origine.* Quæ explicationes veræ quidem ſunt, ſed apud Patres quatuor primorum ſæculorum inauditæ, quippe nondum armamentarium expanderant, ſilente hoſte, quietoque. Et ided cum Græci in Florentino (a) Concilio ſæpiſſimè ſilencium ſcripturæ & Eccleſiæ objicerent, reſponſum à Latinis eſt: *Eadem Eccleſia diverſis temporibus, ac urgente neceſſitate acceſſionem facere poteſt, quæ quidem facultas nunquam poterit auferri, noſter enim Salvator inquit: Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Nihil ergo eſt novi, ſi novis in Eccleſia quæſtionibus exortis novæ ſint explicationes ſcripturarum, novæ deciſiones auditiæ. Id quod etiam Patres obſervârunt: Tertullianus: (b) Nihil, inquit, ſine ætate eſt, & omnia tempus expectant. *Aspice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoveri; granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de fructu arbuſcula emittitur, deinde ramis & frondes invaleſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & ſtos de germine ſolvitur, de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquando & inſormis paulatim ætatem ſuam digerens eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic & juſtitia (nam idem Deus juſtitie & creatura) primo ſuit in rudimentis &c.* Et S. Auguſtinus: (c) *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, ut adverſus eos de-**

Gggg 2 *ſendâ*

(a) Concil. Florent. ſeſſ. 6. (b) Tertul. de veland. Virg. 5. 1. (c) S. Auguſt. l. 16. de civ. c. 2.

fendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius  
 pradicantur, & ab adversario mota quaestio discendi existit occasio. Et Grego-  
 rius Nazianzenus: (a) Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vo-  
 bis, ut maneat vobiscum in aeternum. Vides illuminationes paulatim nobis af-  
 fulgentes, Theologiaq; ordinem, quem nobis tenere praestiterit, ut nec repente, nec  
 confertim omnia in lucem efferamus, nec in sinem usque occultemus. Et Gre-  
 gorius M. (b) Hoc quoque nobis sciendum est, quia & per incrementa tempo-  
 rum crevit scientia spiritualium Patrum, plus namque Moyses, quam Abraham,  
 plus Propheta, quam Moyses, plus Apostoli, quam Propheta in Omnipotentis Dei  
 scientia eruditi sunt. Fallor, si hac ipsa scriptura non loquitur; & mensus est,  
 inquit, linen porta calamo uno: mensura ergo calami, qui est sex cubitorum, &  
 palmo ducatur ad cubitos tredecim, quia quando mundus ad extremitatem ducitur,  
 tandem nobis aeterna scientiae adytum clarius aperitur. In quam sententiam  
 exponit idem Gregorius illud (c) Danielis vaticinium: Plurimi  
 pertransibunt, & multiplex erit scientia; sive ut clarius habent hebraici  
 Codices: *Discurrent multi, & multiplicabitur scientia.* Et septuaginta:  
*Donec doceantur multi, & multiplicetur scientia.* Convincunt haec omnia,  
 frustra Maimburgum excipere, illos Scripturae textus, qui à nobis  
 citantur, non fuisse à Patribus antiquis explicatos de potestate,  
 quam in certis casibus habet Ecclesia, Reges in ordinem redigendi,  
 solvendique subditos à vinculo juramenti, quo illis devinciuntur:  
 nondum enim haec quaestio mota fuerat, & propterea nec eam  
 scripturis illustrari oportebat; quae necessitas enim probationes,  
 testesque cumulandi, lite necdum instructa? praesertim Patribus  
 in tot bella, hostesque accinctis. Num ergo Concilij, Lugdu-  
 nensi, alijsque loqui non licuit, quia illi tacebant? aut forsan plus  
 habent auctoritatis, probandique efficaciam, tacentes, quam lo-  
 quentes testes? aut alligata est virtus ac potentia Spiritus sancti,  
 ut radius heri nube obseptus micare hodie non possit? praesertim  
 cum in sacris literis tam multa testimonia & exempla extent, pro  
 hac nostra sententia, quae partim produximus, partim infra pro-  
 ducemus, ut non tam silentem Scripturam, quam aperte loquen-  
 tem habeamus. Nam IV. efficax argumentum sumitur ex illis  
 Christi verbis ad Petrum: *Simon Joannis diligis me? pasce oves meas;*  
 idque tertio Christus repetijt. Agnoscunt hic SS. Patres, estque  
 in

(a) S. Naz. serm. 4. de Theol. (b) Greg. M. hom. 16. in Ezech. (c) Danic. 12. v. 4.

in sacris Concilijs definitum, ac perpetuâ traditione, usque in Ecclesia probatum, per hæc verba soli Beato Petro, ejusque successoribus supremam, ac totius Ecclesiæ curam traditam esse, quod Sancti Leo (a) & Bernardus eleganter expresserunt, nec Galli negant. Ex illis verbis argumentari ita licet. Cura universam Christi Ecclesiam, ejusque oves pascendi Petro, & Successoribus commissa est. At verò cura Pastoralis non solum id requirit, ut oves pascas, tondeas, mulgeas, ducas, reducâsque, & morbidas cures, sed etiam ut si quæ ex illis sanari non possit, aliâsque inficiat, Pastor eam ab alijs separet, lupumque irruentem arceat, vinciatque, ne gregem irrumpat; hæc enim si omitteret, præstaretque alia omnia, meritò diceretur suo officio defuisse, nec Pastoris partes explèssè: non quòd Pastoris cura sit, medicum aut venatorem agere, sed quia curari oves non possunt, nisi illa exhibeantur, & commissis ovibus illa omnia commissa censentur. Quòd si Pastor invadente gregem latrone aut taceat, aut acquiescat, aut solis vocibus adversetur, nec cum possit, eum vinciat, aut armis exuat, ne possit nocere, idque eâ ratione excusaret, quòd sola sibi in oves potestas tradita sit, nulla in prædones luposque, quis rogo non timidum, ignavumque, ac sui muneris oblitum diceret, & gregis vastati reum? Sic cum pontifice Romano res se habet. Pastor ille, Christiani omnes, etiam Principes, Regesque ad oves pertinent: fac ex ovibus unam non morbidam tantum, sed lue correptam esse, alijsque funestam, aut quod pejus est, in lupum verti, & in oves juxtâ Pastoremque grassari, volo dicere, Principem aliquem ex ovibus Christi hæreticâ labe contaminari, & Ecclesiæ ac Religioni bellum stragemque moliri, nec ullis rationibus, non minis, non precibus sanari, sistique posse, num à Summo Ecclesiæ Pastore vinciri, exarmarique non possit, eâque potentiâ exui, quâ in sui, aliorumque perniciem abutitur? licet hoc Pastori in prædonem lupumque, cur non Pontifici in hæreticum, hostemque Ecclesiæ? aut forsân majus periculum, damnumque ovibus à lupo, quàm Christianis ab hæretico Principe? aut Jura naturalis defensionis, quæ in Pastore locum habent, non habebunt in Romano Pontifice? Patet ergo ex cura Pastoralis Petro & Successoribus commissa, sequi necessariò

(a) S. Leo serm. 3. de assumpt. sua. S. Bernh. l. 3. de confid. c. 7. pote.

potestatem oves morbidas separandi ab ovibus sanis, arcendique  
 lupos ovibus infestos, *Nec obstat*, quod infert (a) Maimburgus,  
 videl: sequi, ut quemadmodum lupo, ita & Princeps, qui Eccle-  
 siam persequitur, à quovis & quocunque modo cohiberi, oppri-  
 mique possit, id verò parricidijs ac cædibus januam aperire, &  
 unam esse ex Draconis legibus, sanguine, non atramento scrip-  
 tam. *Resp.* Absit, ut hæc consequentia deduci ex nostris princ-  
 ipsijs possit, aut à nobis unquam concedatur; & Maimburgus ar-  
 tificio professione suâ ac fide historicâ nimis indigno, ut odium no-  
 stræ opinionis conciliaret, nobis id attribuit, ut doceamus, *quemad-  
 modum lupum, ita & Principem hæresi infectum omni modo quo potest auferri  
 medio posse*: id enim verò detestamur, non docemus, imò toties re-  
 petimus, hanc ex majoribus causis esse soli Pontifici (b) permissis,  
 nec quovis modo aut tempore, sed certis gradibus ac moderatione  
 cohibendos esse; primò enim rationibus tentandos, tum precibus,  
 deinde minis, postea censuris, sacrisque pœnis; nec ultra procé-  
 dendum, nisi mala in extrema proruperint; nec ullo privato  
 damno in Sceptra, & Coronas bellum cieri posse, sed publico tan-  
 tum fidei & Ecclesiæ malo; & tunc quoque sisti hic vindictam, aut  
 oclijs remedia oportere, nec Catholicæ Religioni sanguine litari,  
 præsertim Regio: quippe balsami arbusculæ similem Ecclesiam  
 esse, quæ cum plagas ab ebore, vitroque sustineat, imò pretiosas  
 lacrimas reddat, ferro tantum abhorret, & contactu inarescit:  
 nihil ergo ferro & Ecclesiæ; quod multi sacri Canones & aperte  
 decernunt, docetque Gratianus (c) eleganter in Decreto. Quan-  
 tum hæc doctrinâ sævis illis & sanguinarijs vocibus distat: *Possit  
 Principes omnimodo quo potest à medio tolli*; id enim significant verba illa  
 Gallica Maimburgi: *Dont il se peut desfaire, omni modo quo potest.  
 Quamvis verò Jus naturalis defensionis, curæque ac custodiæ Pa-  
 storis jus Pastoribus in lupos tribuar, & Pontifici in Reges, di-  
 verso tamen modo; semper enim sacri Canones, exempla Patrum,  
 ac mansuetudo Ecclesiæ propria sanguini pepercere, præsertim*  
 Regio;

(a) Maimb. Tr. hist. f. 376. c. 27. (b) Causas maj. ad S. Pontif. pertinere ha-  
 bes ap. Innoc. I. ep. ad Vitric. Rhotomag. Pelag. ep. 8. Vigil. ep. 7. ad Auxan-  
 Greg. M. ep. 52. l. 4. Concord. Leon. X. Marca l. 1. de concord. Sacerd. lib. 7.  
 c. 10. 12. 13. (c) Decretum in c. his, à quibus. & c. si in morte. 23. q. 8. & Grat.  
 post c. nos. q. 7. causa 2.

Regio : aded ut, qui etiam iuste sanguinem effudissent, altaribus arcerentur. Jus ergo Pontificum usque ad purpuram, sed citra sanguinem stetit. ¶ Præceptis ac sententijs Evangelicis exempla Christi accedunt, ejusque Apostolorum multò verbis potiora. Ipse enim Christus, qui formam servi acceperat, qui venerat ministrare, non ministrari, qui tributum Principibus solverat, qui iusserat dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, qui licet interpellatus noluerat dividendæ hæreditati se miscere, & tandem qui Regnum suum non esse de hoc mundo professus fuerat; nihilominus tamen, ubi salus animarum, & Redemptio humani generis poscebat, de rebus hominum temporalibus absolutâ quâdam & Regiâ potestate disposuit, nam & sicum arefecit, & gregem porcorum merisit, & mulierem adulterij ream contra leges absolvit; Petrus verò & Paulus Christi discipuli alijs (a) alijs vitam miraculo ademere, multò Regnis chariora: nec spiritualia tantùm, sed etiam corporalia beneficia omnibus præstabant, quia hæc persuadendæ fidei, ac plantandæ Religioni erant necessaria. Ex quibus omnibus planè deducitur, Deum Apostolis, eorumque successoribus potestatem tribuisse, non tantùm spiritualia, sed etiam temporalia bona largiendi, quatenus ista spiritualibus serviebant. Quòd si poterant visum, auditum, vitam ipsam largiri, quantò magis Regna, si hæc tantum Religioni conferrent, sintque bona temporalia multò illis inferiora? Cœterùm quia hæc potestas Regna transferendi, si omnibus passim Episcopis concedatur, multò magis Ecclesiæ nocet, quàm profit; ided uni Romano Pontifici est reservata. ¶ Suffragatur etiam, præter verbum DEI scriptum, & exercitum; verbum DEI impressum, innatumque, quod Jus naturale appellamus, hoc enim est quædam divinæ legis impressio, singulorum animis inculpta, quam nemo non audit, nemo non intelligit, nullòque tempore aut deleri potest, aut corrumpi, fucarique interpretationibus falsis, quâ ratione multùm antecellit verbum DEI scriptum, nec minus impius fuerit, qui verbo & legi DEI naturali, quàm qui scriptæ repugnaverit, utriusque enim idem Deus est auctor, & istam dictavit tantùm, illam verò scripsit, impressitque. Ex principijs ergo Juris naturalis sententiam hanc nostram multifariam proba-

(a) V. Act. 5. & 13. V. Hieron. Chrysof. Greg. M. apud Gratian. causâ 23, q. 7.



probamus. *Primò*. Nemo dubitat, defensionem esse Juris naturalis, aded ut nullum ferè animal non instinctu tantum, sed armis etiam natura instruxerit vi repellendæ necessarijs: (a)

*Accepit mundus legem, dedit arma per omnes  
Admonuitque sui, pugnant virtute leones,  
Et morsu canis, & cauda sic scorpium ictu,  
Omnibus ignota mortis timor, omnibus hostem  
Præsidiumque datum sentire, & noscere telum  
Vimque, modumque sui.*

Habet verò locum justa defensio, quoties injustè ab alio invaderis, sunt enim hæc correlativa, injusta invasio, ac justa defensio, & una ex altera resultat; nec refert, si, quite invadit, subditus non sit, aut quacunque dignitate præfulgeat, alioquin si Regem Galliarum Rex Hispaniæ aut Persarum invaderet, repellere invasores non posset; & ipsa natura, quæ omnes pares sumus, delictumque invasorem subjicit. Licet ergo, qui tibi, rebusque tuis vim affert, repellere, armisque exuere, quibus te aggreditur, (quæ omnium modestissima est defensio) omnique modo eniti, ne damno immerentem afficiat. Si ergo Rex aliquis Ecclesiam, Religionem, fidemque invadat, aut invadere paratus sit, poterit is, qui Ecclesiæ præest, eamque gubernat, ubi aliâ ratione non possit, armis nudare, ac nocendi instrumenta adimere, Sceptra videlicet Coronas, subditosque, quibus multo magis Principes, quàm ferro, ignique grassantur, quæque nisi furentibus eripias, nunquam desinent ferire; cum illorum arbitrio sedeat, injuriâ abstinere, & pace frui. Si ergo aliqua defensio est justa, imò necessaria, quæ rogo justior, quàm quæ Religionis & fidei causâ suscipitur? licet domum defendere, non liceat Ecclesiam? licet gladium & facem latroni eripere, non liceat Sceptrum & Coronam? quæ nisi excutias, nunquam gladij, facèsque cessabunt? Demus, Regna & Imperia non subdi Pontifici; at subduntur naturæ, quæ defensionem imperat, aut permittit; nam nec Persæ Gallo subduntur, num ided Galus feret, si illi invadant? Aut quæ possit moderatior defensio esse, quàm quæ arma nocituro aufert? negari ergo non potest, jure naturalis Defensionis Regna & Imperia Pontifici Romano subdi. *Secundò*, Ex jure naturalis defensionis aliud &

(a) Ovid. in Halicy.

par jus exurgit, legitimi videlicet belli, quod æquè ad æquitatem naturalem pertinet, estque species naturalis Defensionis. Si quis ergo Princeps publica commercia turbet, Provincias tuas invadat, pacta infringat, subditos tuos vi, pecuniâ, malisque artibus corrumpat, certum est, huiusmodi Principem, quamvis alioquin nullo tibi iure subiectum, bello peti, & nisi abstat, acceptæque justas pacis conditiones, etiam Regno privari posse, quo modo videmus, tot Regna & Imperia aut eversa, aut translata. Ergo etiam Pontifex Romanus Principes Ecclesiæ infestos, eamque illatâ hæresi corrumpere molientes, poterit iusto bello coercere, & nisi abstant, coronis privare; cur enim totius Ecclesiæ defendendæ causâ non liceat, quod licet unius Castri aut Civitatis causâ? *Tertio*; Si videas innocentem aliquem à latronibus impeti, & continuo trucidandum esse, nec alia ratio suppetat eum injustâ cæde liberandi nisi tela extorqueas, equosque quibus fugientem insequuntur, insecutis vinculis moreris; quis neget, te facere id posse, idque naturam permittere, quæ omnibus innocentiam commendavit? aded ut Sanctus Ambrosius, & ex illo Doctor Angelicus (a) pronuntiet: *Eum qui non repellit injuriam à socio, cum possit, tam esse in vitio, quam ille, qui facit.* Idemque S. Doctor alibi docet, Principibus etiam infidelibus, nullòque modo subiectis posse ab Ecclesia bellum indici, si fideles persequantur, eosque in suâ Religionis exercitio impediant: (b) quantò magis poterit Principi Christiano titulo baptisimi ac specialis Juramenti Ecclesiæ subiecto? cui enim magis innocentium cura, præsertim in ijs, quæ ad animam pertinent, æternamque salutem, quàm Ecclesiæ committitur? Si ergo tu potes latronem vincire, quamvis non tibi, sed Magistratui suo subiectum, ne innocentem perimat, quantò magis poterit Ecclesia constringere Principes, ne animas perdant? *Quarto*: Est etiam iure naturali notum, in mutuis ac reciprocis pactis te nec pacto nec juramento teneri, altero fidem datam fallente, nec promissis stante, unde illud axioma manavit, omni iure receptum: (c) videlicet, *frangenti fidem impune fidem non servari.* Cum ergo Principes, quos

Hhhh tempo-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 6 ad 2. (b) S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 8. (c) V. c. 3. de iurejur. c. 28. de Simon. c. frustra. de R. J. in 6. L. cum proponas 27. C. de pactis. Et Clement. un. de iurejur.

tempore Imperium ineunt, solēmi juramento, se Ecclesiæ, subditi que obstringant, de Catholica fide observanda, tuendaque: si id non præstent, aut quod pejus est, illi evertendæ accingantur, & promissis absistant, dubium non est, posse publicâ auctoritate coerceri, exsolvi que subditos juramento ac obsequio Principi promisso, quod etiam eleganter docuit S. Doctor (a) in libro de Regimine Principis. Poterit ergo Summus Pontifex in hoc aut simili casu declarare, juramentum non stringere, & pacta rescindi, Principe datam fidem violantē; quâ verò in re gravius violari fides poterit, quàm in ijs, quæ animam, ac æternam felicitatem spectant? Videri possunt juramenta Caroli M. & Ottonis Imperatorum apud Spondan. (b) & Gratianum in Decreto. Et hæc quidem sunt prima naturæ principia, adeoque evidentia, & clara, ut negari possint à nemine, imò illis nemo non conformiter vivit. Constat ergo, quàm injusta fuerit Maimburgi censura negantis, nostram hanc sententiam divino testimonio fulciri; at verò ostendimus, eam verbo Dei scripto, exercito, innatōque subniti, quid amplius velit?

VI. *Objicitur VII.* (c) Negat S. Bernardus Pontifici ut tali ullum Dominatum competere, quantò ergo minùs auctoritas Reges destituendi? verba S. Bernardi (d) sunt: *Esse, ut aliâ quâcūque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico jure, nec enim Petrus tibi dare potuit, quod non habuit.* Nulla ergo ex Christi institutione & jure Apostolico Pontifici auctoritas, quàm sola spiritualis, ligandi videlicet, solvendique animas.

*Resp.* Agit sculptorem, non historicum Maimburgus; cædit, truncat, versatque Bernardum, ut statuam mendacio fingat. Negat Bernardus: *Aurum & argentum Pontifices sibi Apostolico jure vendicant, sed aliunde.* Nemo id negat: alioquin Apostoli non essent, qui auro, argentōque caruere. Docet idem Bernardus: *Non reliquisse Apostolos suis successoribus dominationem juxta sententiam Petri, (e) non dominantes in Clero, sed forma gregis facti; & exemplum ac edictum Salvatoris: (f) Qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut qui ministrat, ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat; & concludit: Planum*

(a) S. Thom. I. I. de Regim. Princ. c. 6. (b) Spond. ad an. 800. Grat. c. tibi. d. 63. (c) Maimb. Tr. hist. de l'Église de Rome f. 391. (d) Bernh. l. 2. de consid. c. 2. (e) 1. Petri 5. (f) Lucæ. 22.

est, *Apostolis interdicitur Dominatus*. Hæc Bernardi sententia est, qui ut patet, non de Dominatu Pontificis in Principes, sed in Clerum loquitur; additque in eundem (a) sensum sequentia: *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas utique, non premendas suscepisti*. Ubi planum est, Bernardum de Dominatu etiam in Clerum & Ecclesiasticos loqui. Si ergo eo modo Bernardum explices, quo Maimburgus, sequeretur, non tantum Regibus & Principibus, sed etiam Clericis imperare Pontifices non posse, id verò absurdum est, & nequidem à Maimburgo concessum. Vult ergo Bernardus, Pontificem nec secularium, nec Ecclesiasticarum personarum Dominum, sed Pastorem & Rectorem esse, sicque non posse de ovibus suis, earumque rebus pro arbitrio disponere; id enim discriminis est inter Dominum & Rectorem, quòd huic ratio, illi arbitrium pro lege sit: & Domino, quid sibi, Pastori, quid ovibus prosit, curæ est. Tota ergo Pontificia & Episcopalis potestas ministerialis est, non dominativa, quia videl. Ecclesiæ servit, spectatque Ecclesiæ; non Pontificis & Episcoporum privata commoda: & ideo etiam cum Principes iudicat, abdicatque, non id agit Pontifex potestate Dominativâ, sed ministeriali, quia non suo, sed Ecclesiæ bono. Quemadmodum cum Tutor pupillo imperat, irritatque ejus contractus, non sequitur, Tutorem esse pupilli Dominum; aut cum morbidas oves Pastor sejungit, & medicus infestum membrum truncat, nemo propterea dixerit, Pastorem esse ovium Dominum, medicum membrorum; imò serviunt etiam cum sæviunt, & ideo mercedem accipiunt crudelis obsequij. Cæterum agnovisse Bernardum hanc indirectam & ministerialem potestatem, quâ Pontifices in temporalia funguntur, dubium non est, nec latuit, ut credo, Maimburgum; sed maluit celare veritatem, quàm fateri se victum. Is enim libro 1. de considerat: cum hæc præmisisset: *Non monstrabunt puto aliquando, ubi quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum; stetitse lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego; ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: habent hæc infima & terrena iudices suos, quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? mox subjungit, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt: Denique ubi necessitas exigit, audi, quid dicat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indi-*

Hhhh 2

gni

(a) Bernard. l. cit.

qui estis, qui de minimis iudicetis? Sed aliud est, incidenter incurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultrò incumbere istis, tanquam magnis, dignisque tali & talium intentione rebus. Vides hic, Bernardum duas, distinctasque rerum temporalium constituere potestates, unam directam & Ordinariam, quam Regibus tribuit, aliam indirectam & incidentem, & necessitate urgente, quam Pontifici Romano. Vides ergo, quam malè fide Patres alleger Maimburgus; & quam rogo imperita fuit illa consequentia: Prohibentur Pontifices dominari; ergo prohibentur Regibus imperare, eosque si necessitas & periculum fidei urgeat, Regnis amovere? Quasi verò imperare, prohibere, infesta membra secare, lupos arcere, latrones ne obsint vincire, ad solos Dominos, & non etiam ad ministros, tutores, Pastoresque pertineat? Rursus, quantum abest à veritate & eandem sacri Scriptoris, Bernardum de dominatu in Clerum loquentem interpretari, quasi de Dominatu in Principes loqueretur? & sententiam truncam, detortamque in alienos sensus producere, illas verò tacere, in quibus se ipsum clarè, distinctèque Bernardus explicat? Qui excuset hunc hominem? nisi dicas, necessitate illum deliquisse, quippe non potuisse malam causam nisi peioribus artificijs sustinere.

VII. *Opponitur VIII.* Sancti Patres, & antiqui Pontifices duas illas potestates, temporalem videl: & spiritualem distinguunt, & unam ab altera independentem constituunt, aded ut sicut Imperatori nulla in Ecclesiis, ita Pontifici nulla in Palatia & Regna sit potestas; ita enim Gelasius I. Nicolaus I. & Gregorius II. loquuntur: tantumque abest, ut Sceptra & Coronas Imperatoribus raperent, ut potius eos colerent demississimis obsequijs, (a) aded ut se eorum vestigijs provolvi, cineres & vermes esse, eorumque suffragibus subiectos dicerent; quæ sunt verba Pelagij I. Stephani II. & Gregorij Magni. *Resp. I.* Duas esse potestates temporalem & spiritualem, nemo negat; sicut nec illud, jure ordinario & citra necessitatem nullam esse in Principes Regesque Pontifici Potestatem; id enim & ipsi Pontifices fatentur, & nos alibi ex istorum, Patrumque testimonijs, (b) Nicolai videl: Stephani VI. Gregorij II.

Alexan-  
(a) Maimb. cit. c. 29. à f. 394. (b) Nicol. I. ep. 8. ad Mich. Steph. VI. epist. ad Basil. Imp. apud Baron. ad an. 885. Greg. II. ep. ad Leon. Isaur. ap. Bar. anno 726. Alex. III. in c. 7. de appell. & c. 7. qui filij sint legit. S. Bernad. l. 1. de confid. c. 6. & l. 4. c. 3. V. Reg. Sacerd. l. 1. f. 101. & f. 252.

Alexandri III. & Bernardi probavimus. Id tamen non obstat, ut premente necessitate ac Religionis periculo leges Principibus dare, eosque cohibere non liceat Pontifici: id Jojadas, id Azarias Pontifices florente Synagoga fecere, quanto magis id nostris Pontificibus liceat, quorum dignitas tanto major, sublimiorque? & idem S. Bernardus à fastu & adulatione alienissimus, quique Pontifices omni Dominatu, curaque temporalium arcet, nec vult, ut *falcem mittant in Principum messem*, hoc ipsum tamen concedit, sinecitas urget: non ergo sequitur, ut, si Patres ordinariam in Reges potestatem negent, hanc ipsam etiam negent in casu urgentis necessitatis, & Religionis periculo laborantis. Quis enim nescit, quam multa necessitas excuset? non licet alteri vitam, non domum adimere, licebit, si ratio publici boni, si defensio exigant: neque hoc est falcem in alienam messem proferre, aut limites egredi Ecclesiasticæ Potestatis; cum enim omnis potestas & felicitas temporalis ordinentur ad Religionem, veramque fidem stabilendam, tanquam media ad finem; potestas Ecclesiastica, quæ Religionis & Fidei præest, etiam de medijs, hoc est, de potestate, rebusque temporalibus disponet; neque hoc est limites egredi, cum eadem sit finis & mediolorum disciplina; quamvis enim ad navis gubernatorem id solum pertineat, ut navim in portum agat, non verò, ut cœli cursum, stellarumque metiatur; nemo propterea dixerit, cum Ursam, cum Arcturum & Plejadas examinat, cumque in omnes Cœli plagas oculum defigit, & in ipso Magnete polum quærit, extra terminos ferri suæ artis, quia videt: quæ ratione hæc omnia media sunt & adjumenta felicitis navigationis, ad artem nauticam pertinent, suntque Gubernatori necessaria. At non minus Regia potestas veræ Religionis, quis enim nescit, quantum intersit veræ Religionis, quis imperet? Testes Anglia, Germania, Suecia & Dania, suorum Principum exempla, & casus secuti: ut ergo Regia potestas veræ Religionis aut noxia, aut proficua, sic Pontifici subdita; & sicut nimia & assidua Cœlorum contemplatio navarcho inutilis, quippe alias curas moraretur huic arti proprias; & illa tantum salubris, quæ navi gubernandæ servit: ita & Pontifici nulla de Regni cura, nisi cum Religio possit, naufragium factura alioquin, si assiduus & velut ex propo-

Hhhh 3 sito

sito in has stellas intendant, navis interim curam, cursumque omittet, & dum Regna quaerit, animas perdet. Hoc solum Patres, nec aliud in Pontifice damnant. II. Unde jam patet, quam incaute Maimburgus dixerit, potestatem temporalem nullo modo à spirituali pendere; qui enim fieri hoc potest? cum bona temporalia sint media & instrumenta Religionis, fidei, aeternaeque felicitatis: an media à fine, instrumenta à causa principali non pendunt? Id perinde esset, ac si diceret, animam omnino à corpore non pendere, cum tamen nemo nesciat, jacere animam inertem, desidemque, nec posse in actiones micare, languido & aegro corpore; multo magis corpus ab anima pendet, & ideo ab ista sustentatur, alioquin fato cessurum. Sic ergo temporalia à Spiritualibus pendunt, & ista illis imperant; sic virtutes, quae animam exornant, etiam in corpus exundant, & huic moderantur: & ideo Religio, fides, charitas non solum animam ad actus internos, sed etiam corpus ad externos impellunt. Male ergo supponit Maimburgus, potestatem Regiam & temporalem à spirituali non pendere, id enim perinde est, ac si dicat, nec terram à caelo, nec corpus ab anima, nec media pendere à fine, imò si experientiam examiner, cursumque annorum, fatebitur, Regnorum felicitatem à Religione fluxisse, & cum ista aut crevisse, aut declinasse, quod pronum esset omnium ferè Imperiorum exemplis ostendere, nisi id alij praestitissent. Cicero Romanum Imperium solà Religionis curà ad tantum fastigium pertigisse scribit, cuius verba memoratu digna hinc adscribam: *Quam volumus, inquit, P. C. nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec validitate Paenos, nec artibus Graecos, sed pietate ac Religione, atque hac unà sapientiâ, quod Deorum immortalium munere omnia regi, gubernarique prospeximus, omnes gentes, nationesque superavimus.* (a) Quod si tantum Imperijs contulit aestimata Religio, DEO etiam umbras virtutum adamante, quantum conferet vera, nec mendacis fucata? Si ergo spiritualia sunt meta & causa bonorum temporalium, idque etiam Pagani agnovere, qui potuit Maimburgus dicere, potestatem temporalem à spirituali haud pendere? III. Quod verò addit, Pontifices humillimis formis supplicasse Imperatoribus, verum quidem est, idque ad Pontificum modestiam pertinet; & nihil

(a) Cicero Orat. de Arusp. Resp.

nihil obstat, quin tempus & necessitas poscerent, non eadem maiestate, quâ nuper modestiâ, uterentur, vicésque obsequendi, imperandique miscerent, nunc abjecti, nunc sublimes, nunc rogantibus, nunc iubentibus similes, utcûnque DEI gloria postulâset; cûm enim Episcopi, ac olim etiam Pontifices Imperatoribus quoad temporalia subijcerentur, quoad Spiritualia verò Patres Imperatorum essent, rogabant ut subditi, imperabant ut Patres; idque tum sacræ litteræ, tum etiam sancti Patres egregiè adverterunt, nam Ecclesiasticus: (a) *Noli, inquit, esse humilis in sapientia tua, ne humilitatis in stultitiam seducaris.* Et S. Paulinus: (b) *illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, sed ignaviâ mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis, quàm suam salutem curat, mendaciæ famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia.* Et S. Bernardus: (c) *Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratia prærogativa divina, ut eos nec humilitas pusillanimes reddat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat, sed quò minus de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eò amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.* Quæ Sanctorum monita egregiè ab illis ipsis Pontificibus observata sunt, quos Maimburgus adducit, nec enim eodem semper tono cenere, sed jam blandi, jam minaces, jam tubâ, jam cheli personabant, ut Principum mores deposcerent, quod etiam supra à me notatum, & videri possunt epistolæ (d) Gelasij I. ad Anastasium, Gregorij M. ad Mauritium, & Gregorij II. ad Leonem Imperatores; quæ revera non tam litteris scriptæ, quàm flammis videntur, adeo libertatem spirant, & animum tanto fastigio dignum, & alibi exempla dedimus. Quid enim fortius illis Gregorij vocibus (e) ad Mauritium Imperatorem: *Ecce per me ultimum servum suum & vestrum respondebit Christus; ego te de notario Comitum excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed Patrem Imperatorum feci. Ego Sacerdotes meos tua manu commisi, & tu à meo ser-*

vicio

(a) Ecclesiast. c. 13. (b) S. Paulin. epist. 21. ad Amand. (c) S. Bernard. serm. 1. de Virg. Deip. n. 13. (d) Gelas. ep. ad Anast. T. 2. Conc. ap. Bin. Greg. M. ad Maurit. l. 2. ep. 62. Greg. II. ep. 2. ad Leon. T. 3. Conc. V. Regale Sacerd. f. 37. (e) Greg. epist. 62. l. 2.



*vito milites tuos subtrahis? responde rogo piissime Domine seruo tuo, quid venienti & hac dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Et Symmachi ad Anastasium Imperatorem: Precor Imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, ut possis uti concessa tibi divinitus potestate. Deser DEO in nobis, & nos deseremus DEO in te. Ceterum si tu DEO non desers, non potes eius nisi privilegio, cuius jura contemnis. Et Gregorij Papae ad Leonem Illaurocum: Obscutus es pervicaci animo tuo, & dixisti: Imperator sum & Sacerdos. Audi humilitatem nostram Imperator, & cessa, sanctamque Ecclesiam sequere, prout accepisti, non Imperatorum dogmata, sed Pontificum. In administrationibus seculi militarem & ineptum quem habes sensum, ac crassum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non putes &c. Taceo in veteribus Ambrosij in Theodosium, quas cum per volvo, ac perpetuis illis blanditijs confero, quibus Principes nostros Maimburgus demulceret, coelisque exaequar, vehementer fateor, antiquis me Patribus indignari, isti enim semper aliquid in Principibus notabant, quod reprehenderent. Stephanus IV. amores cum Longobarda Carolo M. exprobrat, Athanasius Constantino festinata iudicia, Innocentius Arcadio Joannis Chrysostomi exilia, Ambrosius Valentiniano impietatem, aut potius conniventiam, Theodosio scyritiam, denique semper in Solibus nostris aliquas Ecclipses observant. Hic vero nostram tempestate omnia Principum laudantur, credas, illos praeis Paradisi rosis simillimos, quae spinarum expertes nascebantur. Si amant, elegantes appellantur, placidique, ac vitium instar semper gratiores alieno amplexu. Si aliena bello invadunt, Heroes ac bellatores, vastisque animis, ac metas spernentibus: si Pontifices non audiunt, multentque recta monentes, & aras transiliant Religionis, jurium suorum tenaces; denique nullum Principis vitium elogio vacat. Ergo aut antiqui illi, sanctique Patres in censendis Principum vitijs nimijerant, errabantque, aut Principes nostri multo Constantinis, Carolis, Theodosijs perfectiores, nec ex eadem massa peccatrice compacti, aut denique adulatorum omnes illi, qui omnes paginas implent ijs elogijs, quae ipsi Principes erubescant, tacitis interea maculis, & ideo perpetuis. Quod si Theodosius & Constantinus viverent, fallor, nisi Maimburgus utriusque vitijs litaret, solitisque adulandi artibus unius voluptari, &*

ti, & alterius favitiæ incensum adoleret, & quod olim Nero, ardentem incendio Romam cantu fallere, quàm aquis juvare mallet.


§ IV.

Solvuntur aliæ objectiones, quæ à Maimburgo ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ adducuntur.

SUMMARIA.

1. Pontificis indirecta in Reges potestati non obesse Acta inter Gregorium, & Ludovicum Imperatorem.
2. Neque Acta inter Bonifacium, & Philippum Regem Galliæ, quæ fusiùs percurruntur.
3. Nec denique alia ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ à Maimburgo adducta.

I.

 Pponitur IX. (a) Cùm Ludovicus, Pipinus & Lotharius in Ludovicum Patrem & Imperatorem arma sumpserunt, seque eorum partibus Gregorius Papa adjunxisset, utque eorum causam promoveret, Romam in castra profectus esset; Imperator missis ad eum legatis primo conquiri, quod in hostium castris contra majorum exempla hæret, deinde cùm intellectum esset, eum anathemata, dirasque parare, nisi filiorum voluntati & postularis acquiesceret, cordatè ab Episcopis responsum: Si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat auctoritas antiquorum Canonum. Liqueat ergo

Iii

vel

(a) Maimb. Tr. hist. de l'Egl. de Rome c. 30. f. 415.

vel hoc uno exemplo, Episcopis Galliæ eam opinionem animo sedisse, ut crederent, non esse Pontifici permittendum, ut se rebus causisque Principum immisceat.

*Resp.* Fallit Maimburgus, remque multo aliter narrat, quam se habeat, idque odio Pontificis; cui enim alteri causæ adscribas falsam narrationem? quamvis dedecore in solum auctorem recedente. Audi Aimoinum (a) Floriacensem in sua historia Francica: Tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris in unum cum copijs, quibus poterant, coire facerent, Gregoriumque Papam advocarent sub ornatu quasi, qui Patri solus filios reconciliare deberet, aut posset; rei tamen veritas post claruit. Cum vero rumor usquequaque diffusus sereret de cæteris, quod verum erat, de Papa vero Romano, quod ideo adesset, ut tam Imperatorem, quam Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent sua, filiorumque Imperatoris voluntati, parum quid surripuit Episcopis præsumptio audacia, assertentibus, nullo modo se velle ejus succumbere voluntati, sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret. Ductus autem Papa in habitationem Castrensem multis assertionibus perdocuit, se tantum iter non ob aliud suscepisse, nisi quod dicebatur, quod inexorabili contra filios discordia laboraret, ideoque pacem inter utramque partem serere velle. Remissus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necerent, cum penè omnis populus ad eos torrentis more deflueret, nequaquam ut fuerat iussus, redire est permissus. Et post pauca: Ipsum verò Ludovicum Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & Imperium inter fratres ternâ sectione paritur. Gregorius Papa talia cernens cum maximo morore Romam regreditur. Paulus verò Æmilius (b) in vita Ludovici: Gregorio in Italiam regresso Lugduni Concilium Episcoporum, quos filij Reges contraxerant, habitum, Imperiumque Patri abdicatum; quod decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis multata. Vides, quantum differant Aimoini & Maimburgi narratio. Aimoinus dicit: Gregorium in castra à filijs Ludovici evocatum, prætextu pacis conciliandæ. Non ergo Gregorius ideo profectus ad illos est, quod eis magis, quam Patri faveret, sed quia illexerant spe pacis ineundæ. Falsum ergo, quod ait Maimburgus, eum ut perduellibus faveret, in castra venisse. Rursus scribit Aimoinus: Rumore jactatum esse, Pontificem ut anathemate Imperatorem feriret, advenisse; additque: Cum vero rumor sereret de cæteris, quod verum esset, de Rom. verò Pontifice, quod

(a) Aimoin. in gest. Franc. l. 5, c. 14. (b) Æmil. in Ludov. Pio.

quod ideo adesset, ut Imperatorem excommunicaret. Quibus verbis aperte ostendit, rumores de alijs fuisse veros, non verò de Romano Pontifice sparsos. Cur rogo Maimburgus rumores accipit pro veritate? an nescit, nihil esse incertius rumore vulgi, & præsertim ab hostibus sparsis? nam intererat Principum, ut Pontificem à suis partibus esse crederetur. Et quæ rogo integritas scribentis, veritatem & historiam facere, quod Aimoinus rumorem? nec lectorem monere, ne falleretur. Si Maimburgus *jaçatum* id diceret, ferri poterat, sed quòd ipse tanquam certam veritatem producat, asseratque, quòd rumor tantum fuit, isque, ut innuit Aimoinus, subornatus; nulla ætas Maimburgo ignoscet, quippe se ipsum dedecore, & lectorem erroribus implicanti. Adjungit Aimoinus: *Surripuit Episcopus presumpcio audacia, asserentibus, nullo modo se velle ejus succumbere voluntati.* Vocat Aimoinus *audaciam*, quam Maimburgus pro exemplo adducit: miseram causam tam caducis argumentis nixam! quæ enim vitia excusari non possint, si audacia, & libido, & homicidia pro exemplis adducantur? Sed rem totam absolvit, quòd Aimoinus & Amilius addunt, videl. *Gregorium Papam talia cernentem cum maximo mœrore Romam esse regressum.* Non ergo Gregorius Ludovico adversabatur, alioquin nec ejus vices tanto mœrore prosequeretur, nec decretum, quo Imperio exuebatur, rescinderet, quin potius confirmaret. Quis ergo non videat, mireturque, maluisse Maimburgum rumori credere, quàm innocentia tot argumentis probata? Pro qua & illud facit, quòd Gregorium tribus postea annis Lotharius bello invasit, nec revocari potuit, nisi Ludovici imperio, minisque, & festinatâ ad filium Legatione. Audi illius temporis scriptorem Anonymum in vita Ludovici: *Nuntiatum est Imperatori, quòd Lotharius Ecclesiam S. Petri, & homines ejus crudelissimâ clade vexaret, quare animus Imperatoris mitissimum adeò exasperavit, ut quodammodo extraordinarie missos dirigeret, nullum penè ad tantum iter consiciendum spatium tribuens.* Tantum ergo abest, Gregorium Ludovici filijs favisse, ipsi verò Ludovico adversatum esse, ut hunc amicum & protectorem, illos hostes haberet. Sed, inquit Maimburgus, *cur in hostium castris herebat Gregorius, Ludovico contempto, & per Legatos exprobrante, ut si more antecessorum suorum aderat, cur tantas neciteret moras, non sibi occurrendo?* Respondeo, non hanc Gregorij, sed Principum

tipum culpam fuisse, Pontificem vanâ spe pacis læstantium, & ne castris excederet prohibentium, quod etiam Aimoinus citatus illis verbis notavit: *Nequaquam, ut fuerat iustus, redire est permittus. At saltem apparet, inquit, noluisse Gallia Episcopos, Pontificem Romanum negotijs Regum implicari, hoc enim ea verba significant; nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, si excommunicatus adveniret, excommunicatus abiret.* Resp. Mirum esse, ut paucorum Antilitum verba, qui ab armato ad armatos veniebant, vicinâque pugna feroces, quosque Aimoinus ipsa presumptionis & audacia notat; toti Ecclesiæ Gallicanæ adscribantur. Cæterum si removeas verborum intemperantiam, fallamque opinionem, quâ Gregorium credebant Ludovici hostibus favere; verum erat, nihil Pontificis anathemata, si illis justam Ludovici causam morari vellet, & perduellium tueri, valitura. Quippe injusto bello Ludovicus petebatur, ejus verò defensio non justa tantum, sed necessaria; quis verò nescit, non posse justam defensionem anathemate prohiberi? aut quis unquam docuit, Pontifici parendum esse æqua prohibenti, aut flagitia imperanti? Hoc ergo exemplum, etiamsi daremus sincerum esse, incorruptumque, nihil prorsus ad rem facit, sed inrexi debuit inopiâ meliorum, & Maimburgo, cum virtute non possit, numero pugnante.

II. *Opponitur X.* (a) Bonifacio VIII. jura Coronæ Gallicæ pallam aggresso, præsertim verò in Bulla, cujus initium: *Unam Sanctam* (ea enim Pontificem Romanum etiam quoad temporalia omnibus Regnantibus præficit) nemo ignorat, Philippum Pulchrum Gallie Regem, omnemque Ecclesiam Gallicanam omnes vires intendisse, & ad futurum Concilium provocasse, nec unquam subjacere huic potestati voluisse; patet ergo, quænam Ecclesiæ Gallicanæ sententia tunc fuerit.

Resp. Quæ Bonifacio VIII. & Philippo Regi contingere, utinam pateretur Maimburgus silentio involvi, delerique ex Gallie monumentis; eorum sanè adeò Philippum puduit, quippe à suis delusum, ut in Concilio Viennensi, teste Nauclero (b) Doctore Sorbonico, eorum memoriam aboleri, nec filijs imputari petierit, obtinuitque publico Diplomate; & planè nulli funestior ea tradidit.

(a) Maimb. cit. c. 30. f. 415. (b) Naucler. de Monarch. p. 4. l. 7. c. 18. Joan. Rub. in Bonif. f. 235. Villan. l. 9. c. 22. Clem. V. in Regest. epist. 32.

gedia fuit, quàm Regiæ domui paulò pòst excisæ, ut notat (a) S. Antoninus. Nam Bonifacium quod attinet, nullius innocentia gloriosius probata, quod postea dicemus. Quæ ergo Maimburgo delectatio, cineres Regios turbare, & olim oblitterata, ac Regno fatalia proferre? ego ea tantum expromam, quæ innocentiam Bonifacij ostendant. Is Anagninæ in Patria sua operâ præsertim Colummensium, quorum duos purpurâ exuerat, & Nogaretij captus tenebatur. Triduum jam fluxerat. Anagninenses & pudore tanti flagitij, & quadringentis equis, quos Urfini adduxerant, freti Pontificem liberant; hostes aut capti, aut cæsi, fugatique; Pontifex advocatâ Concione omnes veniam donat, tum Romam petit, exceptus infinitâ omnium gratulatione, & in modum triumphantis. Consilium agitantem, in quo tanti sceleris vindictam, & delicto parem repeteret, mors occupavit; placidè solum esse, sacrisque omnibus procuratum, ac ratione ad extremum constante Processus (b) Bonifacij, Jacobus Stephanus, (c) Nauclerus, alijque testantur, nec furenti similem, arrosisque digitis & illiso capite extinctum, si alia omnia desint, satis ex illius cadavere constat, sano integròque, quod trecentis pòst annis effusum est, & videri authentica Instrumenta possunt apud Bzovium (d) & Rubeum. Obijt 7. Octobris Anno 1303. trigesimo quinto die à captivitate. Missi in Galliam nuntij, qui Philippo mortem referrent. Eà in Galliam perlatâ Episcopus Maurianensis ferrur in hoc vaticinium prorupisse, teste D. Antonino: (e) *Hoc novum magnum dabit Regno Francia gaudium, sed extrema gaudij luctus occupabit, nam propter tantum excessum notabile DEI iudicium irruet super eum & progenies ejus.* Successit Bonifacio Benedictus XI. & huic veneno inter ficus floresque propinato Clemens V. operâ Pratenfis Cardinalis, & beneficio Philippi Regis, in cujus gratiam sedes in Galliam translata, immenso Italiæ luctu, damnòque. Inter alios articulos Regi à Clemente promissos quartus fuit, (f) *ut Bonifacij memoriam damnaret.* Quis non crederet conclamatum esse? Rege videlicet accusante, Pontifice obstricto, & Reonon filente tantum, sed etiam extincto?

iiii 3 Clemens

(a) S. Antoninus. p. 3. Tit. 21. c. 3. Bzovius. T. 14. (b) Process. Bonif. pag. 36. & p. 151. (c) Naucl. p. 4. l. 7. c. 18. Jacob. Stephan. test. oculus. (d) Bzov. cit. Rub. f. 347. (e) V. S. Antonin. 3. p. T. 20. c. 8. (f) Masson. in V. Philippi Pulchri, & Giaccon. in V. Clem. V.

Clemens ad Concilium retulit: illic à trecentis Patribus absolutus: accusatores repulsi, fraudes detectæ Philippus Rex ingenti poenitudine tactus, sequè deceptum ingemuit. Audi Nauclerum (a) Doctorem Sorbonicum: Bonifacium post novem annos Clemens V. annuibus trecentis Patribus in Concilio Viennensi, ubi præfens aderat Rex Francie Philippus, verum Catholicum, nullaque labe pollutum fuisse pronuntiavit. Omnium malevolorum calumnias, imposturas, mendaciæque in illius Pontificis famam contorta, ut Regi placerent, placendo illuderent, illum deciperent, ipse Pontifex cum toto Concilio detestatus execrationi subiecit. Ipsi vero Regi Philippo agnoscenti dissidiorum crimina contra Bonifacium perpetrata, eaque per ignorantiam se commississe, proditoris Sycophantarum illusionibus illum deceptumque profitenti Clemens V. ignovit. Qui cum valde metueret, ne illa criminum falsorum accusatio, qua deceptus Bonifacio affinxerat, sibi ac posteris dedecori viderentur, propterea Clemens Pontifex cum universa Synodo sanxit, nunquam Philippo Regi, tanquam innocenti, aut saltem nescienti, proditorum decepto fraudibus ea exprobratum iri. Sed non ideo placatum Numen, nam Civitas Anagnina fame, (b) peste, civilibus bellis, ruinisque penè deleta, nec prius à malis cessatum, quam à Clemente VII. impetrato Episcopo, qui eos noxà à majoribus contracta liberaret. Alij proditorum immaturâ aut morte, aut clade sublati. Philippus (c) Rex dum aprum insequitur, equo lapsus, extrinctisque tres filios reliquit, infelices omnes Uxoribus adulterijs, teste Divo Antonino & Emilio: illis brevè Regnum, nullique mares, & ita familia Pulchri extinctâ Valesia successit. Observavit Genebrardus, & ex illo Spondanus, Philippo nihil prosperi evenisse post captum Bonifacium. Si quæras, unde Philippi odia fluxerint; responderet Maimburgus: (d) Bonifacium in Fura Gallici Sceptri falcem misisse, sequè per celebrem illam Bullam, Unam Sanctam, velut sublata in alium facejurgiorum, Regnantibus omnibus præferre aggressum; hinc orta dissidia. Sic Maimburgus, aut ignarus, aut quod magis crediderim, dissimulans rerum, Quicunque enim prætextus fuerint funesti dissidij, certum est, causas multò alias fuisse, & quàm decoras Bonifacio, tam indignas Philippo à suis circumvento. Quod ut clarè sub oculos ponam, singula suis annis distinguam.

(a) Naucl. de Monarch. p. 4. l. 7. c. 18. (b) Alex. Bonon. in descript. Lat. (c) Joan. Villan. l. 9. c. 65. S. Anton. p. 3. T. 21. c. 3. § 4. Masson. in V. Phil. Raynald. anno 1314. n. 26. Spond. ad ann. 1314. (d) Maimb. cit. c. 30. f. 417.

Anno MCCXCIV. Cœlestinus V. Pontificatu abijt, eique in Cardinalium Senatu liberè renuntiat; succedit omnium votis Cardinalis Cæteranus, sèque Bonifacium VIII. appellat. Multos ea electio gaudio, quàm plures mæore affecit; Cœlestinus enim sanctitate & miraculis populum devinxerat, Principes verò ingenti liberalitate, regendique dulcedine. Bonifacius ergo velut affectatæ Tiaræ ac dolo obtentæ incusatus. Sed immeritò, quamvis enim Cælestinum rerum humanarum, gubernandique rudem, & in largitiones, Principumque postulata nimis facilem multi illius temporis auctores (a) tradant, præsertim verò Clemens V. in Bulla Canonizationis; Bonifacium tamen dissuasisse, ne Pontificatu cederet, multi & oculati testantur; inter quos Ægidius Columna: (b) *Comprobari potuit ex pluribus tunc viventibus, Bonifacium, cum in minoribus ageret, persuasisse Domino Cœlestino, quod non renuntiaret, quia sufficiebat Collegio, quod nomen sua sanctitatis invocaretur super eo.* Eadem habet Cardinalis Stephanesius. Obluctata est præsertim Universitas Parisiensis, de qua in Actis coram (c) Clemente V. hæc habentur: *Cum verò hæc Parisijs inaudirentur, queri & examinari coeptum est super ingressu illegitimo dicti Bonifacij, videl: an teneret dicti Cœlestini renuntiatio, vel non? consuluntur plures Doctores, & in Theologia Magistri, qui viderunt in materia diligenter, & determinarunt eorum plurimi & magni, Cœlestinum renuntiare non potuisse, Consultationemque suam in contrarium prius editam non tenuisse, nec eum id, quia contra DEUM esset, & ejus Evangelium & omnem rationem, statuere potuisse.* Cæterum errasse Universitatem patuit ex Concilij Viennensis, & Ecclesiæ assensu, Bonifacium pro vero Pontifice agnoscentis. Et ipse (d) Maimburgus in historia Schismatis Occidentis fatetur, posse, imò debere in aliquo casu Pontificem etiam legitimum, & pro tali habitum Pontificatu cedere, confirmatque Archi-Episcopi Parisiensis auctoritate, cum quo præcipua historiæ sua puncta contulisse se ait.

Anno MCCCXV. Bonifacius Adolphum Imperatorem societate ac fœdere cum Eduardo Angliæ Rege contra Philippum prohibet: utrumque verò Regem societate componit. Eodem anno Con-

stitutio-  
 (a) Lucens. in Bonif. Petrarch. l. 2. de vita solit. Villan. l. 8. & Clem. V. in Bulla Canoniz. (b) Ægid. Columna. l. de renunt. Papæ. Stephanes. de renunt. Cœlest. (c) Acta inter Bonif. & Phil. coram Clem. V. (d) Maimb. hist. du. grand. Schism. d'Occid. l. 5.



stitutionem edit, quâ libertatem Ecclesiarum contra omnes Principum conatus tueretur, vindicâtque. Carolum II. Gallia Principem, & S. Ludovici ex fratre nepotem Siciliae throno imponit, omnique studio contra Friderici & Siculorum conatus fovet. Constantia Siciliae Regina Henrico VI. Imperatori nupsit, dato Siciliae Regno dotis loco. Henricus Friderico II. filio reliquerat, hic Conrado, Conradus verò veneno extinctus Conradino filio, quem Innocentij IV. tutelâ bimulum commisit. At Manfredus Friderici nothus armis, donisque Siciliam obtinebat, Tyranni nomine in Tutorem mutato. Sed Innocentius IV. Urbanus IV. Clemens IV. Rom. Pontifices sibi asseruerant, quippe Ecclesiae feudum, amissumque Friderici & filiorum perfidiâ; erantque majestatis rei. Urbanus in Carolum I. Andegavensium Comitem transtulit, S. Ludovici Galliae Regis fratrem: hujus filius Conradino extincto, pacatisque Siculis, Sceptro succedit. Sed turbatis iterum rebus Friderico Regis Arragoniae fratri Sicilia se dedit; at Bonifacius VIII. Gallum, uti dicebam, potenter sustinebat.

Anno MCCXCVI. Guido Flandriae princeps filiam Philippam Eduardo Walliae Principi, Angliaeque haeredi despondet. Philippus Galliae Rex, cui suspecta cum hoste affinitas Flandri, Guidonem, Uxorémque Corbolium invitat, retinetque, nec prius libertas reddita, quam sponsa infidem data. Intercessit pro virgine Bonifacius, sed neglecta à Gallo preces; hinc bellum ab Anglo, nisi Bonifacius inducias imperasset, quippe dum Christiani Principes intestinis bellis consumuntur, Christianum nomen in Syria deletur. Replendis interim aerijs, quae domesticis bellis exfugebantur, in Anglia, Galliaque gravissima tributa indicta: in Gallijs centesima mercatoribus imposita, tum quinquagesima, nullo secularium, Clerique discrimine. In Anglia, obnitente tributis Clero, bona Ecclesiastica occupata, cujus postea sceleris aded Eduardum Regem poenituit, ut largè fluentibus lacrymis veniam ab Episcopis posceret. Cùm ergo Immunitas Ecclesiastica tot modis ab illis everteretur, qui tueri debebant, nec ferre Bonifacius id posset, editâ Sanctione Principibus prohibet: *Ne quidquam à personis Ecclesiasticis quovis doni, mutui aut subsidij nomine recipiant, nisi Pontificis*

*Pontifice consulto, & nisi parcant, anathemate percussit.* Exarsere Politici, quorum manibus sacri aëris semper aliquid hærebat; & ne titulus abesset honestæ iræ, Bonifacium inculant, quasi necessarios sumptus avertat tuendæ Galliæ, belloque à Gallo, Anglo, Germanoque impendente. Utque Bonifacium ferirent simili plagâ, edictum à Rege extorquent, quo ne aurum argentumque Galliâ esseretur, prohibebatur. Sed Bonifacius lædi hoc edicto pietatem Gallicam, & majorum exempla ostendens, nec Gallo opportunum, eo tempore, quo ab Hispano, Germano, Angloque bellum instaret, Pontificem provocari; effecit apud Regem, ut edictum revocaretur, molli videlicet adhuc Philippi animo, ac remedia admittente.

*Anno MCCXCVII.* Fridericus Arragonius Siciliæ Tyrannus Cardinales Columnenses sibi devincit, trahitque in societatem belli & prodicionis: eos Bonifacius, cum molliri, avertique haud possent, arcibus, purpurâ, sacrisque exiit; hinc implacatum ab illis odium, & Bonifacium, Regemque inter perpetuæ discordiarum faces, ac tandem incendium, nescias Ecclesiæ magis, an Regno funestum? Eodem hoc anno Bonifacius dato ad Philippum Diplomate profertur, nunquam sibi mentem fuisse, ut Galliæ Præsules non possent voluntarijs subsidijs Regem adjuvare, modò vis abesset, nomenque tributi: imò necessitate urgente, aut illos, qui feudum accepissent à Rege, (a) cogi etiam posse. Divus Ludovicus Gallicarum Rex hoc ipso anno inter Sanctos relatus.

*Anno MCCC.* Annum Jubilæum Bonifacius celebrat, ad quem supra ducenties mille peregrinos convenisse ajunt. Carolum Valesium Regis fratrem comprimendis Italiæ, & Siciliæ motibus Imperatorem deligit, oblati in necessarios sumptus Galliæ decimis, & utriusque Imperij spe.

*Anno MCCCL.* Philippus ministrorum consilij actus, Rhemensis, Carnutensis, Laudunensis & Pictaviensis Ecclesiarum bona ac jura occupat, præsertim verò Lugdunensis, Narbonensis & Apamiensis, quarum Præsules earum Urbium dominatu gaudebant. Ipsum verò Episcopum Apamiensem violatâ Immunitate Ecclesiasticâ, immittâ satellitum manu ad se vocat, traditque custodiendum  
K k k k      Archi-

(a) V. c. Clericis de Immunit. Eccles.

Archiepiscopo Narbonensi, Bonifacius Episcopum solvi, Romamque mitti ad dicendam causam, ablatam Ecclesiam Apamiensem, jubet, & Episcopos Galliae ad Concilium dimitti; nam ut ait S. Antoninus: (a) *Philippus Episcopatus vacantes, cum essent bona Episcoporum, diripiebat, & investituras eorum facere volebat. Quamobrem Bonifacius ut magnanimus & audax neminem timens cepit contra ipsum agere, tanquam inimicum Ecclesiae, & Praelatos Franciae ad Urbem ad celebrandum Concilium vocavit.* Sed Philippo haec contra Galliae Privilegia fieri contendente, Bonifacius, ne obtentu Privilegij Ecclesiae everterentur, exhiberi ea jubet, & interim viribus carere.

Anno MCCCII. Tandem Gallicae nubes tempestatem effundunt, tanto tempore collectam. Philippus Ariminensem & Apamiensem Episcopos, quamvis Apostolicam Sedem appellantes, carceribus detinet. Praelatos ad Concilium evocatos Galliam exire prohibet; & quis crederet? isti Philippo potius, quamvis persequenti, quam Bonifacio, qui illorum causam agebat, detulere; adeo illos aura, quae ex Aula spirabat, corruerat, ut praeter libertate servitute amarent. Idem Philippus Legatos Pontificios exire Regno jubet, calumniarum copias (b) pronuntiari à Cathedra Parisiensi in aede D. Virginis facit, & à Comminatorijs Bonifacij ad futurum Concilium provocat. Quo tempore Bonifacius Cathedrae suae juribus vindicandis celebrem eam Decretalem vulgat, cujus initium: *Unam Sanctam Ecclesiam.* Tota hujus Constitutionis summa ea est, ut ostendat, duplicem in Ecclesia gladium esse, materialem videlicet & spiritua-lem, & gladium materialem sub spirituali esse. Quod si gladius & potestas materialis exerraverit, corrigendam & judicandam esse à potestate spirituali. Haec Bonifacij doctrina totidem ferè verbis ex Divi Pauli, & Bernardi desumpta est; nam temporalem potestatem à spirituali judicandam esse illis verbis Apostolus expressit: *Si angelos judicabimus, quomodo magis temporalia?* Duplicem verò in Ecclesia gladium esse, temporalem & spiritualem, S. Bernhardus in l. i. de consider. c. 6. ad Eugen. tradit. Non ergo novae doctrinae auctor Bonifacius; nec aliud scripsit, quam quod calamo exemplisque antiquitas expresserat. Sed cum Philippi animus jam iram caleret, adderentque faces Regij Ministri,

(a) Antonin. 3. p. T. 20. c. 8. § 20. Joan. Villan. l. 8. c. 62. Emil. in Phil. Fulchro. (b) V. Masson. in vita Bonif.

facile fuit Bonifacij verba in aliena sensa torquere; dicebant enim, Pontificem sibi in Francicam Coronam jus vendicare, quasi illa Ecclesiæ Beneficium esset, quàm tamen tantùm Cælo deberet; idque in publicis Comitijis jactatum, quò major in Bonifacium invidia conflaretur. Prohibiti etiam Præsules, ne Concilium, quò à Pontifice vocabantur, adirent. Bonifacius eos omnes censuris afficit, qui Romanum iter morarentur, nec tamen Regem expref- sit: imò Joannem Cardinalem Parisios mittit, qui Regis animum molliat, exsolvatque censuris.

Anno MCCCIII. Cùm nihil efficeret Legatus Cardinalis, (a) Bonifacius Albertum Imperatorem in Philippum concitat; hic in publicis Comitijis Bonifacium hæresis, usurpati Papatus, & Simon- niæ postulat, totòque Regno vulgari jubet, & ad Concilium pro- vocat, quique Regijs edictis & voluntati obniterentur, exilio pulsì, & ipse Bonifacius, ut supra indicavi, Anagninæ captus. Hic ordo & series Tragœdiæ, ex qua Maimburgum facile convincas; nec enim dissidia Philippi cum Bonifacio ex eo fluxère, quòd hic aut coronam auferre minaretur, aut Constitutionem illam, *Unam San- ctam*, ediderit; hæc enim contigerunt natis jam jurgijs, adultisque, ut supra vidimus; imò quàm plurimis beneficijs Philippum Bo- nifacius affecerat: sed veræ causæ sunt illæ ipsæ, quas Maimbur- gus tegit, videlicet: quòd ægrè haberet Gallos, Cœlestinum Pon- tificatu cessisse; is enim cùm omnes suâ virtute metiretur, facilimus erat in Principum postulata, Gallorum præsertim; successerat Bonifacius, si minori Sanctitate, at majori prudentiâ, nec dolis obviâ: hinc primi Sorbonæ imperus, negantis potuisse Cœlesti- num renuntiare, ideòque nec Bonifacium Papam esse: quòd Ordinem Clericalem tributis, vestigalibus, decimis gravari vetuerit inconsulto Pontifice; cùm enim bello inter se Gallus, Anglùsque sævirent, Regijs ærarijs exhaustis, bello sustentando Ecclesiæ premebantur: quòd Columnenses purpurâ exuisset, & isti perpetuis querelis aulam, Regemque incitarent: quòd Ecclesiarum jura, Lugdunensis præsertim, Narbonensis & Apamiensis occupâssent Philippus, quarum Urbium dominatu hætenus Episcopi gavisi erant: quòd Episcopum Apamiensem violatâ immunitate inclu-

K kkk 2

sister;

(a) Auctor V. Bonif,

fisset; & tandem, Episcopos Galliae, ut corruenti Immunitati subveniret, ad Concilium evocasset. Hæ inquam veræ causæ persequendi Bonifacium, sed pudebat istas, quippe Gallo indecoras, nec ejus causæ profuturas, proferre. Quis enim Philippo accederet, ejusque studia probaret, si fateretur, se Pontifici, quod Ecclesias, quod Canones, quod immunitatem tueretur, bellum dixisse? alia ergo quæsitæ, si minùs vera, at fallendis incautis aptiora; & quæ colore saltem placerent, si pretio non possent. Quod verò multi Galliarum Præsules contra Bonifacium, & cum Rege sentirent, nihil Maimburgum juvat; quis enim nescit, Episcopi in Aula frequentes quot vinculis Regi adstringantur? nam & chamaeleontes ex flore, herbisque, quibus adhærent, colores sumunt, Quæ causa unquam justior fuit, quàm Chrysofomi, Athanasij, Thomæque Cantuariensis? & tamen nemo his magis, ut Episcopi adverfabantur, quippe qui ex Principum nutu pendebant, eosque sequebantur, quos duci oportebat. Nec mirum ergo, nec novum esse debet, pleròsque Galliae Antistitem Philippo Regi adhæsisse, id enim potentiae, non causæ dabatur; præsertim cum metus & poenæ jungerentur; constat enim, quàm plurimos, qui Bonifacio studebant, exilio & carceribus multatos esse, ut Massonius (a) in vita Philippi, & acta coram Clemente testantur; nihil ergo subsidij à votis Episcoporum, quos metus, & carceres, & exilia urgebant; absint minæ & proscriptiones, liberæque sint voces Episcoporum, nec strepitu catenarum, minisque expressæ, & tunc demum pondus & momentum habebunt, alioquin nihil fidei extortis.

*Dices;* quæ Bonifacius in Philippum scripsit, fecitque, à Clemente V. abolita & deleta sunt; ergo id signum est, Regem innocentem fuisse. *Resp.* Clementem Gallorum operâ, Regis præsertim, Pontificatu potitum esse, & multa priùs Regi promississe, ac etiam juramento confirmasse, præsertim de Bonifacij memoria abolenda, notius est, quàm ut repeti à me debeat. Quid ergo mirum, si Pontifex Gallus, qui in Gallijs morabatur, imò sacram Sedem ed transtulerat, Regi tot beneficijs, promissisque ac jurejurando devinctus erat, multum Philippi gratiæ & potentiae detulerit, ac præsertim paci Ecclesiæ? nec disputaverim, quanto id jure: illud certum

(a) Masson. in V. Phil. Processus f. 239.

certum, Clementem propterea apud multos male audivisse, & Bonifacii memoriam, quam Philippus persequebatur, coelesti prodigio assertam esse. Sanè quod Pontificis potestatem in Reges spectat, Bonifacii vestigijs Clementem inhæsisse patet tum ex Hungariæ Regno, quod contra Ottonis Bavariæ Ducis studia Carolo Martello asseruit, tum etiam ex celebri (a) Constitutione, quam in Concilio Viennensi edidit, & supra produximus; ut si pugnare velimus Clementis exemplo, plus id Maimburgo, quam nobis noceat.

III. Addit alia Maimburgus Ecclesiæ Gallicanæ testimonia, ad quæ cum superiori §. responderimus, nolumus hic repetere. Illud tantum observa, Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem, & à Maimburgo, & à me proferri, sed longo discrimine; Maimburgus enim non habet antiquiora Gallicani Cleri testimonia & Decreta, quam à decimo quarto seculo, & tunc quidem temporis, cum dissidia inter Pontifices, Regesque ardebant, & Clerus, ut fieri solet, spe, merique ac etiam adulatione in Regias partes trahebatur, multique pietate ac doctrinâ præcipui Pontifici adhærebant: erantque Conventus illi Gallicani particulares tantum; nec Maimburgus ex Sanctis Ecclesiæ Gallicanæ Patribus aut Doctoribus proferre aliquem potuit, cui sententiam suam cum decoro committeret: nec enim moror sententias aliquas generales, & quæ nullam penitus rei, de qua loquimur, mentionem faciunt; multò minùs Concilia aliqua Generalia, quæ sententiæ ejus faveant, produci possunt: planè nullum Maimburgus produxit, quamvis suæ causæ adornandæ omnia concusserit. At verò Ecclesia Gallicana, quam nostræ sententiæ apertè consentientem vidimus, non nova, recensque, sed antiqua, & septimi jam seculi est, abundatque Patribus, Sanctisque Ecclesiæ Doctoribus, quinque Concilij Generalibus prævalida, nec in genere tantum, sed de casu, quem præ manibus habemus, in particulari & individuo loquitur, & tunc temporis sententiam suam de Pontificia supra Reges potestate dixit, quando Summa Pontificum, Regumque concordia, omnique procul affectuum, iræque tempestate, ac placidis annis veritas promebatur. Jam lectoris arbitrium esto, utri sententiæ auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ magis suffragetur. Quod si

Kkkk 3

(a) V. Raynald. ad ann. 1307.

si palma antiquitati danda, nostra multò antiquior, ut quæ novem jam secula in Ecclesia duravit, tot exemplis, tot Patrum oraculis, tot Concilijs suffulta, florensque. Valeant ergo, vincantque illæ à Sanctis Patribus toties reperitæ & inculcatæ voces, videl: (a) *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quò quisque religiosior foret, eò promptius novellis opinionibus contraret. Christianus ergo Catholicus providebit, ut antiquitati inhereat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Sed, inquit Maimburgus, (b) *potestas in Reges Pontificia nunquam magis, fortiusque, ut in ultimo Conventu Parisiensi, repressa, constrictaque est. Rex verò utpote Conciliorum, Canonumque defensor doctrinam ejus Conventus quatuor propositionibus comprehensam toto Regno acceptari, colique jussit, eo serè modo, quo apud Superiores Religionum fieri solet, ut certa aliqua doctrina, Thomæ videlicet aut Scoti teneri jubeatur, concordia causâ. Resp.* At ego in nullo Conventu magis, graviusque, ut in illo Parisiensi, peccatum esse crediderim, nec simplici, sed cumulo errore, quod pace & reverentiâ Sacri illius Senatûs dixerim, nunquam dicturus, nisi cogeret majestas offensi. *Primò enim, quis nescit, iram, merumque huic Choro (c) præsedisse? quos verò fructus exspectes radice infectâ? Reperantur memoriâ Antiochense, Ariminense, & Ephesinum II, Concilia, videbis semper periclitatam esse veritatem, animis irâ, merumque agitatis. Elisæus quamvis adversus Joram idolis addictum sacro, justoque Zelo inardesceret, non prius tamen Sancto Spiritu afflari potuit, quàm turbatum, flagrantemque animum poneret mulcente tibicinis manu: (d) *Adducite, inquit, mihi Psalter, cùmque caneret Psalter, facta est super eum manus Domini.* Si ergo ecclesiæ etiam flammæ tantum fumi est, ut radium veritatis obumbret, quantum erit terrestri illi, densæque, & quam odium ac vindicta incendit? Quæ ergo auctoritas ei Conventui esse potuit, in quo ira præsedet, terror suffragium injit, metus decidit, & adulatio subscript? quæ si quis neget, Apamiensis tragœdiæ tantum recorderetur, & fatebitur, nihil à me supra verum, sed multum infra memorari. *Secundò.* Negari haud potest, majores causas ad Romani Pontificis cognitionem pertinere, idque inter hujus Privilegia Maimburgus (e) reposuit: at verò causæ, quas Conventus Parisiensis*

(a) Vincent. Lirin. comment. l. 1. c. 3. & 9. (b) Maimb. Tr. hist. de l'Egl. de Rome ch. 30. f. 425. (c) V. Reg. Sacerd. f. 73. (d) 4. Reg. c. 3. (e) Maimb. cit. c. 5. f. 67.

rificis decidendas sibi sumpsit, non majores tantum sunt, sed omnium maximæ, versantur enim inter prima Ecclesiæ & Republicæ capita, Pontifices videl: Reges, & Concilia universalia. Si enim quæstio verteretur, an Gallici Regni Status sint supra Regem, possintque istum judicare, punire, ac etiam Regnis exuere? an à Rege ad Comitata Regni appellari possit? an Sententiæ ac edicta Regia tanquam errori ac injustitiæ obnoxia recusari impunè possint, & ab illis tanquam ab abusu ad futuros Reges, aut futura Comitata provocari? Si inquam hujusmodi quæstiones agitari Parisijs contingeret, quis non illas maximi momenti esse diceret, quippe ad Regni aut quietem, aut turbas pertinentes, & plurimorum bellorum ac seditionum faces? & qui hujusmodi quæstiones aut hæcenus inauditas, aut saltem dudum sopitas excigaret, imò in privatis Conventibus jactari, palamque affigi vellet, quo rogo is alio nomine dignus esset, quam factiosi ac perduellis? at verò similes omninò in Conventu Parisiensi non propositæ tantum & auditiæ, sed etiam decisiæ sunt, imò imperatæ, armatæque supplicijs, si non jussu, at rogatu, nutuque Patrum. Non dico, factiosos illic, aut perduelles fediisse; absit, me reverentiæ oblitisci, tot magnatibus, sacrisque Infulis debitiæ; illic dico non potuisse tanti, imò maximi momenti causas ab eo Conventu agnosci, multòque minùs decidi, quippe soli Pontifici reservatas, etiam Gallorum, & Maimburgi judicio. Quo ergo jure tribunalia miscant, & sepem utriusque potestatis perrumpunt, sibi que causas vendicant Pontifici tantum sepositas? & qui hæc faciunt, magnæ auctoritatis Maimburgo, invictæque videntur; at nullius mihi, quantæ videl: si de causis Regni Gallici Hispanus pronuntiaret, aut Anglus de jure margaritas piscandi in Sinu Persico. Tertio. Omni Jure, naturali videl: divino, humanoque statutum est, ut non prius in aliquem sententia dicatur, quam vocatus is fuerit, auditusque, & copia data suas rationes deducendi. Jam verò Conventus Parisiensis Tiaræ Pontificiæ duos, quos habuit, pretiosissimos uniones subduxit, supremum videl: in rebus fidei judicium, & potestatem Reges abdicandi, quoties necessitas tutandæ Religionis exegerit: quæ duo si negent Galli ad Pontificem certò pertinere, negare saltem non possunt, dubium esse, an ad Pontifices pertineant.



neant; id enim saltem evincunt tot Patrum, tot Doctorum, Conciliorumque testimonia, & praesertim possessio tot exemplis à Romano Pontifice in Gallis exercita. Quo ergo jure potuit Conventus Parisiensis Romanum Pontificem tam egregijs prerogativis exuere, non auditum, non defensum, nec saltem litis admonitum? Cur possessione abdicatus tot annis obtentâ? si vel unum ex opulentis illis Sacerdotijs Archi-Episcopo Parisiensi adimeres, quibus fruitur; nec is prius causam in senatu dixisset, quantæ rogo de injuria, violatisque legibus querelæ? & tamen quantum inter Pontificem & Archi-Episcopum, inter Sacerdotium, supremamque potestatem discriminis? *Dices*, sententiam & declarationem Conventus Parisiensis ad solam Galliam pertinere. Esto: at potestas Pontificia non Gallias minùs, quàm alias mundi partes complectitur, nec minùs in ijs, quæ fidem, morèsque spectant, Gallia quam Italia Pontifici subicitur, quod nec Galli ipsi negant; quo ergo jure, non auditum, non defensum Pontificem eo jure privant, quod in Gallijs habuit, posseditque tot annos, quòque privari nisi auditus non debuit? Demus enim, non habuisse, at saltem habere se credit, contenditque ingentibus rationibus nixus; non ergo condemnari debuit, nisi praesens, auditusque. Quòd si dicant, nihil novi Parisienses statuisse, sed tantùm antiqua, & jam olim à Patribus statuta, declarasse. Respondeo, hoc ipsum in dubium vocari, imò gravissimis rationibus ostendi, Patres & Concilia contrarium statuisse: non ergo tam grave, & controversum dubium decidi à Parisiensibus debuit, nec praesentibus, nec auditis partibus, quarum intererat; alioquin si is litem lucretur, vincatque, qui stare pro se. Jura & scripturas dicit, seque nihil aliud expetere, quàm olim Jure & scripturis decisa, & ideo nec iudice, nec sententiâ opus esse; quis tam reus, quem non continuo absolvas? nec enim tam malam causam quis habeat, qui non Canones, non Leges, & scripturas appellet: imò ij maxime, qui suæ causæ minùs confidunt, tympanorum more, fortius ex vacuo sonantium. *Quarid*. Certum est, non posse superiorem ab inferioribus judicari, multoque minùs juribus, quæ habere se contendit, privari. Quis verò Conventum Parisensem Pontifici & Concilij præposuit, ut ab istis sancita ille resigeret? ergo Conventus Parisiensis

siensis Concilij Viennensi, Lateranensi, Lugdunensi ac Constantiensi major, ut quæ hæc comprobârunt, ille damnaret? & doctrinam in ijs Concilijs non prolatam solum, sed etiam ac toties exercitam aboleri juberet, imò seditiosam, sacrilque scripturis adversam appellaret? huc ergo tendunt tot illa encomia, ac prærogativæ Conciliorum à Gallis invidiosè jactata, ut videlicet Pontifici quidem præferantur, Galliæ tamen Episcopis subjaceant, ab istis, ut libuerit, obliteranda. Concilia Ecclesiam universalem repræsentent, Concilia errorum expertia, Concilia omni Pontifice superiora, Conventui tamen Parisiensi ad pedes jaceant, corrigenda, improbanda, imò & damnanda, utcunque aulæ placuerit, & Infulis ab aula pendentibus. Quòd si Conventus Parisiensis ingenuè fateatur, ut planè fateri debet, se multò infra Concilium esse, & Pontificum decreta; quærimus, quâ ergo auctoritate ausus fuerit sententiam proferre, imò imperare, ac minacibus decretis obrudere, adèd Conciliorum doctrinæ, exemplisque adversam? Num ergo Archi-Episcopus Parisiensis pateretur, aliquem è Decanis suis Ruralibus collectis clericorum comitijs Archi-Episcopi decreta contrarijs evertere, & suas opiniones Archi-Episcopi præferre, imò imperare? atqui non minùs Archi-Episcopus, Conventusque Parisiensis Pontifici & Concilij subest, quàm Decani Antistiti suo; non ergo contra Pontificum, Conciliorumque decreta statuere quidquam poterant; & quæ statuerunt, nullius ponderis ac momenti sunt. Si enim corrigi, judicarique Pontifices & Concilia oportebat, ab alijs Pontificibus & Concilijs de-  
 cuit, non à Conventu Parisiensi, cui nulla in majores potestas; alioquin quanta Hierarchiæ Ecclesiasticæ confusio, si liceat contra superiorum statuta non tantùm docere, sed etiam imperare? Id quoque egregiè observavit Cardinalis Richelius (quo vix alius doctior, certè nemo Regi suo addictior, magisque de Regno Galliæ meritus) in libro, (a) quem Episcopus scripsit, & necdum Romanâ Purpurâ insignis; sic enim cap. 8. gallicè scribit, quæ ego latinè reddam: *Ipse Clerus Ecclesiæ ali-*  
 L III *usque particularis, qualis est Ecclesiæ Gallicana, non posset hanc questionem deci-*  
*dere,*

(a) Cardinal. de Richel. livre intitulè: *Le Principaux points de Foy de l'Eglise.* ch. 8.

dere, cum ad solam Ecclesiam pertineat fidei articulos definire; imò cum in fide re jus & causa vertatur omnium Regnorum statuúmque Orbis Christiani, uni & particulari Regno, sine auctoritate assensuque aliorum Regnorum permissum non est de hac re sententiam ferre; imò quod plus est, ex huiusmodi decisione (quod videlicet Pontifici Romano nullo casu liceat de Regnis disponere) necesse est certissimum schisma in Ecclesia consequi; cum videlicet articulus Fidei singularis, & pro una tantum Ecclesia Gallicana statuitur, non pro tota Ecclesia Catholica, unde schismatis & divisionis in rebus Fidei occasio dabitur. Adde eam sententiam (quæ videlicet Pontifici Romano potestatem indirectam adimit) bono & securitati Regnantium non solum inutilem, verum etiam noxiam esse, ut ex his videre est, quæ super hoc argumento magnus ille Perronius Cardinalis scripsit, sæculi sui ornamentum, quique materiam hanc ed eloquentiâ & doctrinâ, quam omnes in hoc Purpurato demerantur, protulit & discussit. Vides hinc à Richelio necdum Purpurato, Romæque obtruncato, sententiam Perronij Cardinalis (qui Pontificis Romani potestatem indirectam tam ardentè eruditèque defenderat) approbari: quâ igitur facie audet Maimburgus dicere, nunquam id Galliam sensisse? num igitur Perronius & Richelius Cardinales Galli non erant? num in sinu Sorbonicæ scholæ non enutriti? num doctrinâ & charitate in Principem, supra omnes, qui unquam Galliam infederint, non eximij? num in nupero Conventu Parisiensi aliquis fuit, qui Perronio & Richelio, non dicam præponi, sed ne quidem æquari potuerit? num uni Perronio aut Richelio mille Maimburgi sufficiant? Et iste sciverit, quod illi ignoraverint? negat Perronius, negat Richelius hanc esse Galliæ sententiam, affert Maimburgus; utri major fides? utri plus credas?

Nec obstat, pietatem & Religionem obtendi; id enim commune jam omnibus fallere volentibus, ut videlicet honesta prætexant, & quod de Panthera memorat Plinius, *odore invitant perituros*. Estq; præferendæ Religionis artificium tam vetus, ut S. Leo jam olim illud observaverit in epistola (b) ad Theodosium Imperat. *Privata causa pietatis aguntur obtentu, & cupiditatum quisque suarum Religionem habet velut pedissequam*. Patet ergo ex dictis, auctoritatem Conventus Parisiensis, quam inter præcipuas Maimburgus ponit, planè nullius ponderis esse, nullamque habere vim probandi. Sed nec minus inane illud,

(a) S. Leo ep. 25. ad Theod.

illud, quod addit: Regem videlicet, utpote Sacrorum Canonum Protectorem, Conveniis Parisiensis Declarationem recipi toto Regno jussisse, idque exemplo superiorum Regularium, suos Clientes unius Doctoris sententia adstringentium concordia studio. Jussisse Regem, Declarationem Parisiensem toto Regno vulgari, recipique nemo inficiatur. At verò id fecisse tanquam Canonum Protectorem, unum est ex solemnibus Maimburgo paradoxis; persecutoris enim Canonum, non protectoris est, doctrinas Canonibus adversas munire, suamque illis auctoritatem præstare; neque Rex id suo, sed aliorum instinctu fecit, regentium videlicet privatas vindictas alienâ & deceptâ Majestate. Et verò in qua Religione receptum vidit Maimburgus, doctrinas imperati Canonibus, Concilijs, Pontificibus, Sanctisque Patribus ac moribus adversas, qualis est illa, quam buccinantur Politici? Scio, multis in scholis receptum esse, ut à sententijs Augustini, Thomæ, Scotique abscedere non liceat; sed ut non liceat à Declaratione Parisiensi, nec ratio, nec conscientia permittet: spesque omninò est, ubi primi imperus deferbuerint, cesserintque voces aulae adulantium, Regem tandem, Galliàmque æquitati cessurum; & quod semper evenit, brevis ævi futuras fraudes, perpetuâ veritate.

FINIS

Primæ & secundæ Dissertationis.



LIII 2

INDEX